



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1176. Usque Ad Annum 1203

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1763

VD18 90118022

Liber LXXIV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66394](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66394)



HISTORIA
ECCLESIASTICA.
LIBER LXXIV.

URBANUS III. PAPA.

FRIDERICUS I. IMPERAT. OCC. ISAACIUS
ANGELUS IMP. ORIENTIS.

§. I.

Lucii obitus. Urbanus III. Papa.

Lucius III. Papa, hucusque Veronæ
versatus, mortem oppetiit, vigesi-
ma quarta Novembris anno mille-
simo centesimo octogesimo quinto, post-
quam in Cathedra S. Petri annos qua-
tuor, & tres ferme menses sedisset, at-
que altera die, vigesima quinta hujus
men-

Sæcul. XII.
A.C. 1185.

*Papeb. co-
nat. pag.
1185 n. 12.
13. & an.
1186. n. 1.
Radulph.
Dic. p. 629.*

Sæcul. XII. mensis sepultus est (*). Eadem vero
 A.C. 1185. die qua Lucius tumulo illatus, Huber-
 tus Crivelli, Mediolani natus, S. Petri
 Ughel. Ital. successor electus est. Eum, cum Archi-
 Sac. to. 4. diaconus Ecclesiæ Bituricensis esset,
 p. 232. S. Thomas Cantuariensis ad se vocavit,
 Vit. S. Tho. ut ipsius frueretur consortio. In Ita-
 p. 162. liam deinde reversus, & in Ecclesia Me-
 diolanensi Archidiaconi munere functus,
 Pur. cell. Cardinalis, Tituli S. Laurentii in Dama-
 monum ep. I. so, anno millesimo centesimo octogesimo
 to. 10. Conc. secundo, a Lucio III. Papa creatur. Tum
 Algiso mortuo Archiepiscopus Medio-
 lanensis, atque elapsis exinde septem
 mensibus, a Cardinalibus Papa una voce
 eligitur. Die Dominica sequente, pri-
 ma Decembris coronatus, Urbani III.
 nomen accepit, ac Sacram Sedem uno
 anno & undecim prope mensibus, simul-
 que Archiepiscopatum Mediolanensem,
 tenuit. Literas, electionis suæ testes,
 ad

(*) Natalis Alexander ad hunc locum:
*Corpus Lucii Papæ in Ecclesia Cathedrali Ve-
 ronensi conditum est. Cui Poeta non ineptus
 hoc Epitaphium scripsit :*

Luca dedit lucem tibi, Luci, Pontifica-
 tum

Ostia, Papatum Roma, Verona mori.
 Immo Verona dedit tibi lucis gaudia, Ro-
 ma

Exilium, curas Ostia, Luca mori.

ad omnes Episcopos ceterosque Præsu- Sæcul. XII.
les, apposita die duodecima Januarii, an- A. C. 1186.
no millesimo centesimo octogesimo sex-
to, Veronæ dedit.

Fridericus Imperator interim in Lon-
gobardia commoratus, Festo Natali Do-
mini anno millesimo centesimo octoge-
simo quinto Papiæ celebrato, nuptias
Henrici Regis filii sui & Constantiæ, Ro- *Gotefr.*
gerii Regis Siciliae filiae posthumæ, ac *Viterb.*
Guilielmi II. qui tunc rerum potiebatur, *Chro. par.*
Amitæ, adornari iussit, & licet sponsa *17.p.513.522*
ad annos ætatis plusquam triginta & u-
num pervenisset, Henricus vero vige-
simum primum ageret, hoc matrimonium
Mediolani, in Ecclesia S. Ambrosii, vige-
sima septima die Januarii, anno millesi-
mo centesimo octogesimo sexto, initum
est. Inter illas cæremonias Fridericum *Rad. de Dic.*
Imperatorem Archiepiscopus Viennen- *p.629.*
sis, Henricum Regem Patriarcha Aequi-
lejenfis, & Constantiam Reginam qui-
dam Germanorum Episcopus coronavit,
atque exinde Rex juvenis titulum Cæ-
saris, cum nomen suum scriberet, ap-
posuit. Verum ista Urbano Papæ non
probabantur, dicebat enim sicut Lucius,
ejus Antecessor, Fridericum filio suo Di-
gnitatem Imperatoris conferre non pos-
se; nec placebant illæ nuptiæ, unde Hen-
ricus spem succedendi in Regno Siciliae
nanciscebatur, quia Rex Guilielmus,
Con-

Sæcul. XII.
A. C. 1186.

Auct. Aquin.
cinct. an.
1186.

Constantiæ nepos, prole carebat. Quare Urbanus omnes Episcopos, qui Conventui Mediolanensi interfuerant, ab officio sacerdotali suspendit.

§. II.

Chronicum Godefridi Viterbiensis.

to. 2. *Pistorii.*
an. 1186.
p. 504.

Ad hunc annum Chronicum Godefridi Viterbiensis, quod *Panttheon* dicitur, clauditur. Erat Godefridus Presbyter, olim Conradi III. Imperatoris Capellanus & ab Epistolis, quod munus deinde etiam sub Friderico & Henrico VI. ejus filio obiit. Ad contexendum Chronicum suum, quo omnia, quæcunque ad Historiæ studium pertinere credebat, congeffit, annis quadraginta incubuit, tumque absolutum Opus, Urbano III. dedicatum, ejusdem examini subjecit, *quia nullum scriptum, ajebat, nisi a sacra Sede approbetur, authenticum est.* Præterea dicit, operam suam Principibus multum profuturam, non enim fieri posse, ut sapienter gubernent, si rerum præteritarum ignari sint, & cum factorum suorum rationem nemini, nisi soli Deo, reddere teneantur, Reges exemplis virorum, qui ipsos antecesserunt, informari oportere.

Ceterum Godefridi Chronicum in viginti Partes dividitur, quarum prima & secunda sunt Dissertationes Theologicæ

gicæ de Natura Divina, de Creatione, & Sæcul. XII.
de conditione primi Homini. In se. A.C. 1186.
quentibus prosequitur Historiam Vete-
ris Testamenti a Diluvio usque ad Ma-
chabæos, addita Historia profana, ma-
xime ex Chronico Eusebii. Pars deci-
ma tertia rursus est Tractatus Theolo-
gicus, in quo ubique veracitas Prophe-
tarum, Mystera S. Trinitatis, & Incar-
nationis contra Judæos & Hæreticos de-
monstrantur.

Tum novum Testamentum & Histo-
riam tam Ecclesiasticam quam Civilem
ab Adventu Jesu Christi exorditur. U-
bi de Constantino agit, dicit Auctor:

*Tunc Imperator Silvestro Papæ insi. par. 16.
gnia Dignitatis Regiæ dedit, atque ut p. 385.
Ecclesiis majorem quietem assereret,
Aulæ suæ pompam & tumultum Byzan-
tium transtulit. Ex hac donatione di-
spicimus, quod Ecclesiæ Romanæ Romam,
Italiam & Galliam contulerit. Verum-
tamen, qui Imperio favent, negant, Con-
stantinum ita Regnum alienasse, sed so-
lummodo Religionis reverentia motum,
Papam in Patrem sibi elegisse, sicque ejus
Benedictionem ac orationis subsidium im-
petrare voluisse. Adjiciunt argumen-
tum; Constantinum, cum filiis suis Mun-
dum divideret, alteri eorum Occidentem,
in quo Italia posita est, tribuisse, quod u-
tique facturum non fuisset, si Italiam an-
tea*

Sæcul. XII.
A.C. 1186.

tea Ecclesiæ donasset. Præterea dicunt, Theodosium pluresque alios pios Imperatores, in partitione Imperii, Romam ceteraque Occidentis Regna sibi obnoxia & subdita tenuisse. Ecclesiæ autem Fautores respondent, non esse credibile, quod Deus Ecclesiam suam usque adeo spiritui reprobo tradidisset, ut bona sibi non propria possidere præsumserit. Nam complures viri Ecclesiastici, integerrimæ vitæ, usque in hanc diem Jura Regalia tenuerunt, quo non obstante ad Regnum Cælorum eos pervenisse nemo dubitat. Suppetunt etiam argumenta alia, quod Constantinus hæc jura Ecclesiæ pie ac juste concesserit, & illa licite acceperit. Si enim Deus juste principatum Regibus dedit, populique voluntatem flexit, ut se Regiæ potestati subjiciat, is etiam voluntatem Principum ad eandem potestatem Ecclesiæ concedendam inclinavit.

Ego vero, subdit Godefridus, si privatam meam opinionem proferre fas est, fateor me ignorare, num magis gloria & sublimitas præsentis Ecclesiæ, vel priorum temporum bumilitas Deo accepta fuerit. Multi existimant, conditionem Ecclesiæ antiquæ fuisse magis sanctam, modernam vero magis prosperam. At ego sententiæ Ecclesiæ Romanæ, Matris nostræ, supra petram, quæ JESUS Christus est, fundatæ inhæreo, & credo,
eam

eam jure possidere, quæ possidet, cum ipsa errare, & fides ejus deficere non possit. Præpositis nostris hujus naturæ quæstiones definiendas relinquo.

Sæcul. XII.
A.C. 1186.

Ubi Godefrido de excommunicatio- nis censura, in Henricum IV. a Grego- rio VII. lata, sermo est, subjungit: *Ante hujus Imperatoris tempora nusquam aliquis excommunicatus aut regno priva- tus legitur* (*). Post pauca deinde Godefridus profitetur, se hucusque nar- rata ex aliis antiquioribus Scriptoribus accepisse, illa vero, quæ sequuntur, vel a viris fide dignis audivisse, vel oculis suis vidisse. Manum de tabula removit, ad annum millesimum centesimum octo- gesimum sextum, postquam nuptias Henrici VI. & Constantiæ Principis re- tulit. Sed in toto Historiæ hujus cor- pore multas etiam fabulas, immiscet, quo vitio ceteri quoque illius ævi Scri- ptores laborant.

Sup. lib.
LXII. §. 29.
p. 17.
p. 499.
p. 504.

§. III.

(*) De S. Ambrosio Episcopo Mediola- nensi legimus, ipsum Theodosium ob Thessa- lonicensium cædem, non equidem lata antea publice sententia, sed ipso facto Ecclesiam in- trare volentem a Communione Sacra arcuisse. De potestate autem Principes jure Regni exuen- di nullum usque ad Henricum IV. extat vesti- gium.

Sæcul. XII.
A. C. 1186.

§. III.

Pontificis & Imperatoris diffidia.

*Arnold. Lu-
bec. Chr.
Slau. 3. c. 16.*

*Sup. lib.
LXX. §. 55.*

*Sup. Lib.
LXII. §. 48.*

Urbanus Papa & Fridericus Imperator sæpe consultabant de negotiis rebusque, quas Lucius infectas reliquerat, unde brevi funesta jurgia nata. Nam Urbano Papæ jura Ecclesiæ unice cordi erant, cumque Mediolani primo lucem aspexisset, memori menti inhærebat, quanta mala Fridericus patriæ suæ intulisset. Querebatur vero, quod Imperator contra fas invalisset ditiones, a Matilde Principe Ecclesiæ Romanæ donatas. Quod spolia Episcoporum decedentium sibi raperet, unde successores, cum Ecclesias necessariis omnibus destitutas haberent, a Dicecesanis suis pensiones injuste extorquere cogerentur. Tandem quod complura Virginum Cœnobicia pessumdedit, quorum redditus ærario suo addidisset, obtendens, corruptæ vitæ licentiam in Abbatissis tolerari non potuisse; quasi vero expulsis improbis, alias exploratæ virtutis fœminas subrogare non potuisset. Contra Imperator acriter offendebatur, quod Papa Volmarum, electum Archiepiscopum Trevirensis Sabbato in Vigilia Pentecostes, quod Festum hoc anno millesimo centesimo octogesimo sexto in diem mensis Maji ultimam incidebat, Presbyterum

terum Cardinalem ordinasset ac altera die Archiepiscopum consecrasset. Superius vero meminimus Imperatorem Rudolpho, Volmari æmulo, favisse.

Sæcul. XII.
A. C. 1186.

Sup. Lib.
LXXIII.

§. 56.

Pontificis, parentisque animos sponte aversos sua ferocitate haud parum irritavit Henricus Rex. Cum enim adhuc in Longobardia versaretur, & ex quodam Episcopo, ad se accersito, interrogasset, a quo Investituram accepisset, respondissetque Præsul, se eam habere a Papa, Rex juvenis ter eandem quæstionem repetiit. Tum reponente Episcopo: *Domine! nec Regalia mihi sunt jura, nec Prætores, nec Curia, ideoque Diæcesim, quam rego, a Papa accepi*, Rex a suis Sacerdotem pugnis tundi & per lutum plateæ raptari præcepit. Alia die Urbani Papæ servulo sibi occurrenti magnamque pecuniæ vim deferenti, ea ablata, nares amputari jussit.

Papa Imperatorem ad Judicium vocavit, excommunicationem comminatus, habebatque quosdam præcipuorum in Germania Episcoporum sibi faventes, videlicet Philippum Archiepiscopum Coloniensem, vehementer dolentem, quod omnes defunctorum Episcoporum res mobiles in ararium Principis conferrentur, tum Conradum Moguntinum, Volmarum Trevirensis, & duodecim alios Episcopos, quorum spectatissimus erat

Sup. Lib.
LXXII.

§. 24.

Hist. Eccles. Tom. XVIII.

N Ber-

Sæcul. XII.
A. C. 1186.

Bertoldus Metensis. Nempe ille, quem, anno millesimo centesimo septuagesimo octavo Archiepiscopum Bremensem electum, Alexander Papa deposuerat. Is Archiepiscopatu exutus & e domo sua pulsus Imperatorem adiit, qui commiseratione motus exulem honorifice exceptum apud se detinuit, donec alia Sedes vacaret. Tandemque eum in Ecclesiam Metensem invexit. Bertoldus nihilominus gliscens his ultimis turbis contra Imperatorem stetit, Volmaro, a Papa consecrato, in Germaniam revertenti, ut Ecclesiæ Trevirensis possessionem adiret, obvium se se, etiam extra suam Diocesim intulit, & maximo honore profecutus est. Hinc offensus Imperator Bertoldum e Sede Metensi pulsum, ad fugam capeffendam compulit. Isque ad Philippum Archiepiscopum Coloniensem se recepit, a quo Præbendam in Ecclesia Apostolorum obtinuit. Imperator, Volmarum quoque nec Juribus temporalibus nec spiritualibus in Ecclesia Trevirensi gaudere passus, Rudolphum, quem rediens Volmarus excommunicaverat, tutabatur. Sed & Henricus, jubente Patre, Volmari clientes & fautores spoliavit, domosque ærario Cæsareo adscripsit. Quare Volmarus, in Angliam fugere compulsus ibidem factis occupatus est.

Chr. Belg.

S. IV.

§. IV.

Sæcul. XII.
A. C. 1186.*Querelæ Imperatoris adversus
Papam.*

Fridericus Imperator in Germaniam *Arnold. c. 17.*
 redux, haud ignarus, Urbanum Pa-
 pam contra se nihil non acturum, omnes
 alpium & vicinarum regionum vias ob-
 sidere iussit, ne quicumque demum ex
 Germania ad Curiam Romanam profi-
 cisci posset. Quare Pontifex Philippum
 Archiepiscopum Coloniensem Legatum
 suum in Germania constituere coactus
 est. Imperator, hoc Præsule ad se vo-
 cato, quærit, an sibi fidem servaturus es-
 set. Respondit Philippus: *Non puto,
 Domine, dubitare te posse de fide mea, to-
 ties tibi explorata. Verumtamen, ut
 tibi omnium Episcoporum ore loquar, si
 indulgentius nobiscum ageres, multo ma-
 gis tibi devinctos haberes. Justam con-
 querendi causam sibi esse Papa existimat,
 quod post Episcoporum obitum, spolien-
 tur Ecclesiæ, mobilia omnia auferan-
 tur, anni currentis redditus excipiantur,
 sicque successor nihil ab antecessore reli-
 ctum inveniat. Si banc vexationem a
 nobis removeris, Conciliatores pacis in-
 ter te & Papam erimus. Si nihil con-
 donaveris, nostrum erit veritatem non
 prodere.* His reposuit Imperator: *Cer-
 tissime*

N 2

tissime

Sæcul. XII.
A.C 1186.

tissime scimus, Imperatores, Antecessores nostros, Ecclesiarum Episcopaliū Inveſtituram contuliſſe, & viros longe digniores, ac nunc ſubrogantur, poſtquam vobis Electionem, ut vocatis, Canonicam indulſerunt, Eccleſiis vacantibus præfeciffè. Nos vero quæ Majorum noſtrorum recentiffimi ſtatuerunt, ſervamus, ſed etiam minimum iſtud, quod de veteri jure nobis relictum accepimus, nunquam dimitemus. Porro cum te ſententiæ meæ adverſari videam, nolo, ut ad Curiam, quam Geilenbuſium convocaturus ſum, venias.

c. 18.

Cum igitur plurimi Epifcopi & Optimates illuc conveniffent, Imperator orationem exorſus eſt in hunc modum: Scitis, quod me Papa perſequatur, quamvis ego mihi haud conſcius ſim, me officio unquam meo erga ipſum deſuiſſe. Dicit, nullum Laicum Decimas obtinere poſſe, quas Dominus Altari ſervientibus deſtinaffet. Nos vero minime latet, Eccleſiam ab hoſtibus oppugnatam Decimas in omne tempus conceſſiſſe viris nobilibus & potentibus, qui afflictæ deſenſionem in ſe ſuſceperunt, & quorum auxilio deſtituta ditiones ſuas conſervare non valuiſſet. Præterea dicit Papa, æquitati non eſſe conſentaneum, ut quisquam ſibi Jus Advocati in terras aut Vaſallos Eccleſiæ tribuat, ſed oportere,
ut

ut iis Præsules ea libertate fruantur, Sæcul. XII.
 qua eas primo receperunt. Nos vero A.C. 1186.
 baud arbitramur, facile mutari posse,
 quod antiqua consuetudine stabilitum est.
 Itaque, quid Episcopi de his sentiant,
 quero. Tunc vero Conradus Archie-
 piscopus Moguntinus surgens ait: Gra-
 vissimi momenti est hæc causa, nec no-
 strum est litem dirimere. Sentio, scri-
 bendum esse Pontifici, eumque a nobis ad-
 monendum, ut pacem reducat, & tibi,
 quod Iustitia petit, tribuat.

§. V.

Epistola Episcoporum Germaniæ.

Placuit omnibus consilium. Scripta
 igitur Epistola nomine omnium Ger-
 maniæ Episcoporum, eorumque Bulla,
 id est, sigillum appositum. Dicebant
 vero: *Vehementer dolemus, discórdiam* ap. Rad. de
inter Ecclesiam & Imperium oriri, Dis. p. 632.
 unde duo illi gladii colliduntur, qui mu-
 tuum sibi conferre auxilium deberent.
 Imperator in comitiis solemnibus ba-
 bitis conquestus est, quod dum ipse tibi
 amicitie sinceræ officia exhibet, dumque
 Regem Romanorum unicum filium suum
 pro defensione Ecclesiæ in mille pericula
 immittit, tu de industria infensum ani-
 mum ostenderis, cum Cremonenses, quos
 ipse publicos Imperii hostes declaravit,
 recepisti, cumque Italiæ urbes & inpru-

Sæcul. XII. A C. 1186. *mis Episcopos, ne ei succurrerent, prohibuisti. Adjecit Imperator graves querelas in causa Ecclesiæ Trevirensis, nulla enim extat memoria, quod aliquis Antecessorum tuorum Imperatoris nostri Antecessoribus tantam injuriam intulerit, & Episcopum Regni Teutonici consecraverit, priusquam per sceptrum Cæsareum Regalia accepisset. Quin viri fide digni affirmant, te serio promisisse, quod Dominum Volmarum non esses consecraturus. Præter hæc memoravit, quod jam diu Imperii jura læseris in Ecclesia Mediolanensi, quæ præcipuis in Italia Sedibus adnumeratur. Tandem addidit, omnes Imperii Ecclesias exactionibus illorum obvui, qui a te missi veniunt, cum ingentes sumtus in parata pecunia, in convivis, in hominum hospitio, equorumque pabulo, facere coguntur, atque ita premi Ecclesias & Monasteria egena, quæ non habent, quibus Clericos vel monachos sustentent.*

In fine Epistolæ Episcopi Papam rogant, ut querelarum causam tollat, & in Legatis ipsorum ad se missis fiduciam ponat.

Arnold.

Papa, accepta hac Epistola, miratus est mutatos Episcoporum animos, videbatur enim sibi eorum causam defendendam suscepisse, quam ipsi desererent. Quare neutiquam a proposito Imperatoris rem,

rem, post citationes Canonicas, excom-
 municandi dimotus est. Sed interces-
 serunt cives Veronenses, apud quos Pa-
 pa diversabatur; quippe dicebant: *San-
 cte Pater! servi & amici Imperatoris
 sumus, ideoque rogamus, ne eum in ur-
 be nostra & nobis presentibus Ecclesia-
 stico fulmine percutias.* Dedit preci-
 bus eorum Papa, ut ex urbe excederet.
 Verum in alio loco Imperatorem ex-
 communicaturus morte prohibitus non
 potuit.

§. VI.

Ecclesia Livoniæ.

Inter hæc novella Ecclesia plantabatur
 in Livonia, studio & labore Meinardi,
 Canonici Sigebergensis, qui, populi hu-
 jus Infidelis convertendi desiderio ac-
 census, pluribus annis illuc profectus
 est cum mercatoribus, ipse nobiliter com-
 mercium sectaturus. Lætus deinde,
 quod Deus ejus operæ benediceret, ac
 Idololatræ benevolas aures præberent,
 Hartvicum Archiepiscopum Bremen-
 sem & Capitulum Cathedrale adiit, re-
 rumque faciem exposuit, ne prædicandi
 munus sine Episcopali auctoritate &
 consilio usurparet. Bremenses eum com-
 muni consensu ad excolendam nascentem
 vineam miserunt, unde uberes fru-
 ctus sperabant, atque ut majore potestate

*Arnold. Lu-
 bec. Chro. 8.
 c. 8.*

c. 9.

N 4

vige-

Sæcul. XII. vigeret, ipsum Episcopum ordinarunt.
A.C. 1186. Meinardus Sedem suam Rigæ, Regionis
 illius Capite, posuit, ubi Ecclesiam Ca-
 thedralem sub præsidio Sanctæ Virginis
 anno millesimo centesimo octogesimo
 sexto fundavit, atque doctrina, mansue-
 tudine, & munificencia instructus ma-
 gnum Infidelium numerum ad Christum
 convertit. Bertoldus Abbas Lucensis
 in Saxonia Ordinis Cisterciensis, relicta
 Abbacia, ut cum Meinardo pii laboris
 particeps fieret, paganorum animis suis
 virtutibus, imprimis abstinentia, mode-
 stia, patientia, sibi conciliatis, ipsis ca-
 rissimus fuit. Is etiam Meinardo in E-
 piscopatu successit, atque hi duo primi
 Livoniæ Apostoli extiterunt.

Cæsar. dist. 7
c. 17.

§. VII.

S. Hugo Episcopus Lincolnienfis.

In Anglia Ecclesia Episcopalis Lincol-
 niensis jam annis propemodum octo-
 decim vacabat, post obitum Roberti *du*
Chesnai, mense Januario anno millesimo
 centesimo sexagesimo septimo defuncti.
 Nam Gualterius Constantinensis, huic
 Sedi exeunte anno millesimo centesimo
 octogesimo tertio impositus, vix ultra
 annum præfuit, Rotomagum, ut me-
 moravimus, translatus. Tandem Hen-
 ricus II. huic Ecclesiæ Episcopum præ-
 positurus, Richardum Decanum Lin-
 colnien-

vit. S. Hug.
ap. Sur. 17.
Nov. c. 9.

colniensem & sanio-rem Capituli partem Sæcul. XII.
 Egeneshamum ad se vocavit, vigesima A.C. 1186.
 quinta Maji anno millesimo centesimo Goduin.
 octogesimo sexto. Postquam diu delibe- p. 345.
 ratum, Capitulares Episcopum elegerunt Sup. n. 46.
 Hugonem, Priorem Cartusie Osthamensis Rad. de dic.
 in Comitatu Somersetensi positæ, nuper p. 631. Rog.
 ab Henrico Rege conditæ, qua idomo p. 631.
 hujus Ordinis in Anglia nulla prior ex-
 titit. Rex virum hunc electum fuisse Monast.
 mire gaudebat, Archiepiscopus Cantua- Angl. to. I.
 riensis electionem confirmavit, missi- 959.
 que ad Hugonem Priorem nuncii, qui
 eum nomine Regis & Archiepiscopi ad
 dignitatem sibi oblatam recipendam per-
 moverent. Hugo non ignarus, quam
 difficile & periculosum munus esset Epi-
 scopatum gerere, ut se expediret, dixit,
 nullam esse electionem, non solum quod
 ipse Episcopatu esset indignus, sed etiam
 quod auctoritate Regis & Archiepiscopi
 extra Ecclesiam vacantem esset peracta,
 denique se sine licentia Prioris Magnæ
 Cartusie, Præpositi sui, consentire non
 posse. Ita Hugo Legatos dimisit, hor-
 tatus Clericos Lincolnenses, ut aliam
 electionem magis Canonicam cogitarent,
 speransque eos tot ambagibus offensos
 alium sibi Episcopum quæsituros. Sed
 illi, ne Hugoni aliqua superesset excu-
 satio, in Ecclesia Lincolnensi collecti,
 ipsum secundo unanimes eligunt, tum
 missis

Sæcul. XII.
A.C. 1186.
missis ad Cartusianorum Domum viris venerabilibus, non solum licentiam sed etiam mandatum, quo Episcopatum suscipere jubebatur, obtinuerunt. Itaque Hugo e monasterio suo Osthemensis evocatur; atque discedens equo, cui ipse insidebat, sarcinulam nempe ovinas pelles vestesque monasticas imposuit, nihil Regulæ & instituti sui relaxaturus, priusquam Episcopus esset.

Londinum deductus, Westmonasterii in Sacello S. Catharinæ, Festo S. Matthæi, vigesima prima Septembris anno millesimo centesimo octogesimo sexto consecratur.

vit. c. 1.

Hugo in Burgundia nobili genere natus erat, quem pater, ex ordine Equestri Vir strenuus & virtutis amans, amissa uxore, octennem Deo obtulit, in Monasterio Canonorum Regularium haud procul ab arce sua distante, quo & ipse deinde se recipiens, reliquo vitæ tempore Deo serviit. Primum Hugo regimini cujusdam senis sapientis traditus, ab eo literas & bonos mores didicit, ad otium devitandum & vitam feriam assuefactus. Ubi ad annum ætatis decimum nonum pervenit, Diaconus ordinatur, & haud diu post Parochia ei commissa, etsi necdum Presbytero. Cum aliquando ejus Prior ad Majorem Cartusiam pietatis causa perrexisset, itineris socio

c. 2.

focio Hugone accepto, Religiosus ju- Sæcul. XII.
 venis usque adeo Cartusianorum Insti- A. C. 1186.
 tuti amore captus est, ut ardentissimo
 desiderio eorum societatem adipiscendi
 subeunte, ipsos ad se suscipiendum se-
 creto sollicitare cœperit. Nihilominus
 cum Priore suo domum rediit, Canonicis
 vero, Fratribus suis, quibus ejus con-
 siliū proditum fuerat, vehementissime
 urgentibus, ne eorum consortium fuge-
 ret, jurejurando promisit, se non esse
 discessurum. Verum solitudinis amori
 & sanctioris vitæ illecebris resistere
 non valens, clam se se proripuit, atque
 ad Cartusianorum Domum pervenit; ubi
 viri prudentes receptum a timore vio-
 lata Religionis liberarunt. Sanctam Do-
 mum tunc regebat Basilius, Prior nu-
 mero octavus, S. Anselmi Successor.
 Tum cum Hugo Ordinibus Sacris su-
 scipiendis maturus esset, Seniori suo,
 cui serviebat, quærenti, an Sacerdos
 ordinari vellet, simplex respondit, nihil
 sibi optabilius in hac vita posse obtingere,
 cui Senior, vultu ad severitatem com-
 posito, *tunc expetere audeas, quod viri
 perfectissimi, nunquam nisi compulsi, ad-
 mittunt?* Mox Hugo exprobratione per-
 territus, toto corpore in terram demisso,
 labentibus lacrymis veniam temeritatis
 petiit. At Senex: *Surge, fili mi, non
 turbent te verba mea. Novi, quo spiritu
 mibi*

c. 3.

c. 4.

Sæcul. XII.
A.C. 1186.

c. 5.

mibi responderis. Jam Presbyter initiaberis, & cum definitum a Deo tempus advenerit, Episcopus quoque eris. Postquam Hugo annos decem in cellula transegisset, Cartusianæ Domus Prior ei Procuratoris Officium injunxit, quod tanta prudentia obiit, ut integritatis ejus fama ad exteros quoque pervenerit.

c. 6.

Tunc quidem Rex Angliæ Cartusiam Osthamesem jam fundaverat; sed cum duo, qui præfuerant Priores, accolarum insolentia prohibente, nihil prodesse potuissent, Rex, ad cujus aures Hugonis merita delata fuere, missis ad Majorem Cartusiam Nunciis, eum virum ad regendam novam Domum expetiit. Prior monachique haud lubenter & ipse Hugo ægerrime consensit, dicebat enim: *Cum per tot annos ex vestra doctrina & exemplo me ipsum satis regere non didicerim, quomodo novæ Congregationi præsim & profim?* Osthamum tamen digressus, cum ibi monachos paupertate laborantes habuisset, mærentes solatus & ad patientiam atque mansuetudinem exhortatus, domus illius ædificia & res mobiles auxit, conciliato sibi animo Regis populique, etsi gens illa Advenarum esset impatientissima. Cum Regi loqueretur Hugo, tam pie & apposite dictis fidem adstruebat, ut Rex, quæ petebat non concedere non posset, & fate-

fateretur, industriam suam & solertiam hujus viri eloquentia vinci. Quadam die cum sæva aeris tempestas ingruisset, credidit Henricus, se Hugonis precibus debere, quod fuisset servatus, atque exinde majore veneratione viri Sanctitatem profecutus est.

§. VIII.

Concilium Dublinense.

In medio Quadragesimæ, anno millesimo centesimo octogesimo sexto, Joannes Archiepiscopus Dublinensis cum suis Suffraganeis in Ecclesia S. Trinitatis Concilium celebravit. Prima die, ipse Archiepiscopus orationem de Sacramentis ad populum habuit. Altera Aubinus Abbas Banchinglacensis, postea Episcopus Fernesinus prolixum sermonem exorsus est, de continentia Clericorum, conquerens, hanc morum corruptionem ab Exteris, scilicet a Clericis, qui ex Cambria & Anglia venerant, fuisse invectam, cum antea pudicitia amor Clericos Hibernia commendasset. Postquam Abbas peroravit, Clerici Comitatus Wexfordiensis in conspectu Archiepiscopi & Concilii invicem se accusare, quod nuptias solemnibus pompis celebrassent, & concubinas publice in domos suas deduxissent; statimque testes præsentibus exhibebant, quod Hibernis effusissimum risum movit. Ipse Archiepiscopus

Sæcul. XII.
A. C. 1186.

*Girald.
Camb. 2.
gest.*

Sæcul. XII.

A. C. 1186.

episcopus Clericos ad hanc delationem ex consilio Archidiaconi excitabat, cupiens debitam pœnam eis illico irrogare. Quare ut illusores reprimeret, & ostenderet, quantum odisset Clericorum lasciviam, sine mora, lata sententia, convictos ab Officiis Ecclesiasticis suspendit, & beneficiorum suorum possessione privavit. Tertia die Giraldus Archidiaconus, jubente Archiepiscopo, ad populum de Officio Pastorum dicens, veras quidem Clericorum Hiberniæ laudes virtutesque non præterit, sed simul vitia ac inprimis ebrietatem castigavit. Tum conversus ad ipsorum Pæpositos, clarissimis argumentis eos nimix indulgentiæ convicit.

Anno superiore Rex Angliæ Henricus II. Nunciis ad Urbanum Papam missis non nulla privilegia, antea sibi a Lucio Papa simpliciter denegata, obtinuit, ac inter alia, ut ille ex tribus suis filiis, quem ipse delegisset, Rex Hiberniæ coronaretur. Hac de re Urbanus Bullam dedit, ac ut consensum suum luculentius manifestaret, coronam misit aureis filis textam & eminentibus pavonum plumis splendentem. Post Natalem Domini anno millesimo centesimo octogesimo sexto in Angliam misit Octavianum Cardinalem Diaconum & Hugonem Nonantinum Episcopum Coventriensem, quibus potestatem

*Roger.**p. 631.**Id. p. 634.**Gall. Christ.**Præf. edit.**1671. Steph.*

tem Legatorum Sacrae Sedis ad Joannem ^{Sæcul. XII.}
Regis Henrici filium, Hiberniæ Regem ^{A.C. 1187.}
coronandum contulit; huic enim Re- ^{Tornac.}
gnum destinaverat pater. Sed distulit ^{ep. 118. &}
hæc solemnia, ob negotia, quæ ipsi cum ^{ibi Molin.}
Rege Franciæ intercesserunt.

Petrus Episcopus Carnotensis, antea
Abbas Cellensis, librorum editorum fama
post mortem superstes, vigesima Feb-
ruarii anno millesimo centesimo octoge-
simo septimo, hominem exiit, postquam
Sedem hanc tenuisset annis septem, mu-
rosque & pavementum Urbis reparasset.
Sepultus est in Abbazia *Josaphat*, successit-
que defuncto Renaldus Bariensis Gui-
lielmi Archiepiscopi Remensis ex sorore
nepos, qui annis triginta sedit.

§. IX.

Guido Lusignan Rex Hierosolymæ.

In Oriente Arnaldus de Castellione Arcis ^{V. M. S. de}
Caracensis Dominus, rapto vivere as- ^{Saladin.}
suetus, & terras Musulmannorum po- ^{an. 1185.}
pulari, magno agmine ex Ægypto in Ara-
biam proficiscentium capto, peregrinos
omnes in vincula conjecit, nulla habita-
ratione induciarum, quarum statutum
tempus nedum effluerat. Quo com-
perto Saladinus, missis, qui captivos
libertati restitui peterent, minatus est,
se Christianos, per ditiones suas iter fa-
sientes, eadem crudelitate habiturum.
Sed

Sæcul. XII.
A.C. 1187.

3. c. 16.

Roger.
p. 634.
Aut. Aquin-
cynth.
an. 1187.
G. Neuberg.
3. c. 16.

Sed cum Arnaldus, retinens morem Templariorum, quos propemodum solos munitionum suarum præfidiarios habebat, captivos redditurum se negasset, & inutili linguæ intemperantia mille convicia in Mahometem jecisset, tantum iræ concepit Saladinus, ut Deum testem invocans, quod hostium perfidia lacefferetur, juramento se obligarit, bellum se universis viribus restauraturum. Indueias violatas exclamavit, votumque edidit quod Arnaldum sua manu prostraturus esset. Erat vero tunc Saladinus Ægypti, Arabiæ, Syriæ & Mesopotamiæ Dominus, urbesque, quæ Christianis supererant, ipsius ditionibus cingebantur.

Ceterum Christianorum Regibus Balduino IV. anno millesimo centesimo octogesimo quinto, & Balduino V. parvulo, ejus nepote, anno sequente fati functis, Guido Lusignanus se Regem Hierosolymæ coronari jussit, auctoritate Sibillæ, uxoris suæ, Regni Hæredis, munitus. Tum vindictæ cupiditate actus, Raimundum Comitem Tripolitanum ad reddendam rationem reddituum & sumtum a tempore regiminis sui compellere conabatur; sed ille, superante iracundia, initis cum Saladino pactis, ejus præsidio se commisit. Hæc erat rerum facies, cum Christiani violata induciarum fide Suldano satisfacere, & causam querelarum, quas

in.

in primis contra Templarios movebat, tollere intempestive recusarunt. Ergo ille Christianorum regiones anno millesimo centesimo octogesimo septimo cum exercitu plus quam quinquaginta millium invadit. Musulmannorum pars præmissa apud Tabariam seu Tiberiadem Girardum Bideford, Magistrum Templariorum & Rogerium *des Moulins* Magistrum Hospitalariorum occupavit, eosque incautos aggressi Infideles, prima die Maji anno millesimo centesimo octogesimo septimo profligarunt. Girardo fuga saluti fuit, Rogerius cæsus, multi Templariorum capti, & sexaginta vita in prælio exuti. Saladinus, successu accensus, Tiberiadem urbem in Comitum Tripolitani ditione obsidet (nam Princeps iste Reginae Hierosolymæ precibus dederat, ut fœdera cum Saladino arumperet) hostes urbem primo impetu ad deditorem compulerunt, sed præfidiarii munitæ arcis, fortiter sibi commissam stationem propugnantes, Infidelium exercitum multis diebus morati sunt.

§. X.

Pugna ad Tiberiadem.

Interim Rex Guido Lusignanus, ceterique Principes Christianorum omnes ad præstandum celeriter auxilium veniebant,

Sæcul. XII.
A. C. 1187.

G Nang.
Chro.

an. 1186.
1187.

Roger.
p. 635.
Vie M. S.

Epist. in
Chron.
Reichersps
an. 1187.

Hist. Eccles. Tom. XVIII.

O bant,

Sæcul. XII.
A.C. 1187.

bant, ac universis viribus collectis ad Acriam urbem castra posuerunt. Ambo exercitus die Jovis, secunda Julii, anno millesimo centesimo octogesimo septimo, in conspectu fuere, manusque conferere die Veneris, quæ Musulmannis sacra & optimi ominis est, cœperunt. Biduo autem pugnatum & multum humani sanguinis fufum, cum tandem Christiani, numero hostium obruti, siti que & laboris immanitate oppressi ingenti clade devicti sunt. Omnes, qui arma projicere cunctabantur, ad interneccionem deleti. Ab hoste captorum præcipui fuere, ipse Rex Guido Lusignanus, Arnaldus * Castellionensis, duo Magistri Templi & Hospitii. Nullius autem rei jactura magis omnium animos perterruit, quam Sanctæ Crucis, quam pro more ad hoc bellum attulerant. Gerebat eam Episcopus Acriensis, eoque in pugna occiso, quidam Ecclesiæ Hierosolymitanæ minister tenuit, de cujus manu eam Infideles raperunt. Amissa Crux non minus Christianos Orientis & Schismaticos quam Latinos afflixit. Musulmanni vero, hanc a se captam, opimam prædam, ac pretiosissimum victoriæ suæ præmium existimarunt. Comes Tripolitanus, postquam in paucis raro fortitudinis exemplo dimicasset, viam, qua evaderet, per densos hostium cuneos gladio suo sibi aperuit,

* Al. Reginaldus.

aperuit, ac Tyrum pervenit, ubi haud diu post occubuit, tam Christianorum quam Musulmannorum horror; quippe Christiani infelicem pugnae exitum ipsius proditioni tribuebant, & illi perfidum abominabantur, quod fidem in toto foedere datam fregisset (*).

Sæcul. XII.
A. C. 1187.

O 2

Præ-

(*) Hic error typi deprehenditur; nam ex ipso Fleurio §. XI. apparet, Raimundum Comitem Tripolitanum, ex Comitibus Tolosanis ortum, Regis Hierosolymæ Balduini IV. affinem, demum Tripoli occubuisse. De quo Pater Pagi ad hunc annum ex Chronico Nangii ista refert. *Inter hæc Conradus Marchio filius Conradi de Monte ferrato Tyrum applicuit Tunc Comes Tripolitanus, qui illuc post bellum Tiberiadis confugerat, videns potentiam Marchionis, omnibus suspectus & omnes suspectos habens Tripolim fugit; cui statim Salahadinus mandavit, ut pacta, quæ sibi juraverat, jurare suos quoque juberet. Comes civibus convocatis jurare illos imperat, dicens cedendum esse temporis, nec posse Salahadino resisti; responderunt cives, minime se jurare nisi prius formam audiant juramenti, & super hæc inducias usque ad mane petentes accipiunt. Ea nocte Comitem illum divina ultio percussit; res dissimulari non potuit; nam corpore defuncti nudato, quia nuper Circumcisionis stigma susceperat, apparuit; unde palam fuit, quod se Salahadino confederans Sectam Sarracenicam coeperat observandam.*

Sæcul. XII.
A.C. 1187.

G. Nang.

*Saladinus
Victor.*

Vie M. S.

Prælio victor Saladinus illico Tabernaculum figi præcepit, & nobilissimos captivorum in conspectum adduci. Tum, omnibus recedere iussis, aliquamdiu oravit, Deoque gratias egit, ratus, prosperam armorum sortem non tam suis viribus tribuendam, quam debitam Christianorum peccatis pœnam esse censendam. Precibus peractis, Guidonem Lusignanum, Arnaldum Castellionensem, ceterosque Principes, rursus adesse jubet, & apud se confidere; cumque singulorum fauces diuturna siti arere cerneret, suis innuit; sobrietatem nive admota refrigeratam afferrent, & ipse potionem Guidoni Regi porrigit. Bibit ille, moxque scutulam Arnaldo sibi proximo tradit. At Soldanus per interpretem Regi significari iussit; te, dato potu, sitientem refocillare volui, neutiquam vero hoc monstrum hominis, qui, me vivo, salvus esse non debet. Nempe inter Arabes mos antiquus vigeat, quam hodieque in deserto grassatores, etsi alias pessimi sint, servant, quod captivos suos nunquam enecent, si eis vel cibum vel potum præbuerint. Hoc in illa gente hospitii jus inviolatum habetur.

Saladinus igitur Francorum Principes in aliud Tabernaculum ad capiendum cibum dimittit, cumque remotis mensis iterum omnes tabernaculum suum intrare

intrare jussisset, conversus ad Arnaldum, Sæcul. XII.
A.C. 1187.
 crudelitatem, qua Musulmannos ha-
 buisset, acriter exprobravit, tum etiam,
 quod Mahometem maledicè appellasset,
 Meccamque & Medinam urbes diripere
 conatus esset. *Restat nunc, inquit, ut
 Propbetam & Religionem nostram ulci-
 scar. Nihilominus se eam profiteri velis,
 omnes nobis illatas injurias tibi condono.*
 Respondit constante animo Arnaldus,
 velle se Christianum mori, tamque ob-
 lata a Sultano beneficia quam jactatas
 minas contempsit. Tunc vero Saladi-
 nus, ira superante, repente prosiliens,
 nudato acinace intrepidum in capite ferit,
 corporisque custodes illico plurimis telis
 confodiunt. Corpus extra tabernacu-
 lum projectum tota illa die ibi jacuit.
 Ita Saladinus voto se exsolvit, & Ar-
 naldus Castellionensis errata prioris vitæ
 expiavit Martyrio, cujus rei adjuncta soli
 Scriptores Mahometani nobis tradide-
 runt. Noxis admittis, quæ nulla excu-
 satione dilui possunt, adnumero, quod
 Arnaldus fidem publicis pactis datam
 sæpe violaverit. Ceterum omnes Tem-
 plarii & Hospitalarii Equites, in illo præ-
 lio capti, jugulati sunt, atque Templarii
 ducentos ita necati numerabantur. Sa-
 ladinus cum eos interficiendi mandata
 daret, dixit: se toti provinciæ maximum
 haud dubie beneficium præstiturum esse,

*Ep ap Rog.
ad p. 637.*

Secul. XII. si eam Sicariis & nefandis latronibus
A.C. 1187. purgaret. Nempe Templarii nec in pace
 nec in bello Musulmannis parcebant.

Saladinus Tiberiadis arce in potestatem redacta, ad urbem Acriam, quæ ab antiquis Ptolemæis dicebatur, admovit exercitum, ex omnibus urbibus maritimis Christianos ejecturus, ut commercium cum Græcia ceterisque Europæ provinciis tolleret. Acria post biduum expugnata, Soldanus Christianis permisit; vel ibi manerent, vel cum uxoribus & liberis, rebusque, quas loco mobiles auferre possent, alio migrarent. Tum cepit urbes Jaffam, Naplusium, Sebastem, *Nazareth*, *Sefuriet*. Cæsaream, quod vim adhibere coactus fuisset, injectis ignibus crematam vastavit. *Hifa*, quam Scriptores nostri *Caifam*, & *Arsupb*, quam *Assur* vocant, permiserunt se Soldano. *Saida* seu Sidon quoque, priusquam vis afferretur, deditioem fecit. Berytus vero seu *Berut* trium septimanarum obsidionem sustinuit. Ascalon loco pretii, quo Rex Guido Lusignanus liber dimitteretur, Soldano traditur.

XI.

Hierosolyma a Saladino capta.

Tandem decima nona Septembris Saladinus, quod primum animo destinaverat, urbis Hierosolymæ obsidionem
 ex-

exorsus est. Quæ diu sine dubio repu-
gnare potuisset, nisi funesta pugna ad
Tiberiadem, Principum suorum capti-
vitas, ac tot urbium jactura, omnium
animos consternasset. Illud vero omnem
reliquam salutis spem ademit, quod in
ipsa urbe conjurationem deprehenderint,
cujus auctores erant quidam Saladini
Dux, Christianus Melchita, aliique ejus-
dem Ritus homines; haud sane pauci
enim Hierosolymæ degebant, Latinis,
a quibus se injuriis multis affectos quere-
bantur, insensissimi. Hinc cum Soldanus
certe sciret, hos portam unam civitatis
sibi prodituros esse, oblatas ab obsessis,
videlicet Sibilla Regina, Heraclio Pa-
triarcha & aliis Optimatibus deditio-
nis conditiones fastidiose rejecit, adjectis
minis; Musulmannorum gloriam ex-
poscere, ut ipsos ita haberet, sicut olim
incolæ Hierosolymitani ab eorum majori-
bus habiti fuissent, & septuaginta mil-
lium Musulmannorum Christiana crudeli-
tate obruncatorum sanguinem vindi-
carent. Tum Regina Principesque Sol-
dano nunciari jubent, nisi condiciones
honestas concederet, ipsos & longo tem-
pore sua defensuros, & potius ultima
esse passuros, quam dederent urbem.
Cumque Saladinus suos ad consilium ad-
hibuisset, cuncti suaserunt, ne Chri-
stianos ad desperationem, qua excitante

Sæcul. XII.
A. C. 1187.

Sup. Lib.
LXIV.
P. 66.

Sæcul XII. omnia aufuri essent, adigeret. Itaque
 A. C. 1187 conditiones sequentes placuere: Urbem
 traderent & propugnacula omnia, quorum nullum liceret diruere. Viri nobiles & milites armati excederent, eisque daretur præsidium, Tyrum vel in quamcunque aliam urbem, quam elegerent, iturus. Populus egrediens in singula capita injunctam pensionem præstet, res mobiles sibi auferat, & addito præsidio deducatur.

Ita Saladino Hierosolyma traditur, die Veneris, secunda Octobris anno millesimo centesimo octogesimo septimo, obsidionis decima quarta. Heraclius Patriarcha omnem Ecclesiæ cultum, ornamenta argentea S. Sepulchri, laminas aureas argenteasque, quibus tegebatur, & plusquam ducenta nummorum aureorum millia abstulit. Et Soldani præfecti quidem obsistentes dicebant, privatorum solum bona per pacta inita avehili licere. Sed re ad Saladinum delata respondit: *Esset hic enimvero justa litigandi materia. Quia vero Christianis licentiam dedimus res suas, non exceptis Ecclesiis, auferendi, nulla eis conquirendi causa, vel Religionem nostram calumniandi præbenda est.* Ceterum virtutes, quæ in isto Principe eminebant, fidelitas in iis servandis, quæ promiserat, & munificentia fuere. Militibus
 suis

fuis pro omnibus militibus Christianis redemptionis pretium solvit, ac blanditiis honoribusque cumulos dimisit, Emiris supremi Ducis exemplum imitantibus. Reginam & Patriarcham comiter habuit. Multis millibus pauperum impostam per pacta deditiois pensionem condonavit, & ex suo arario aliquamdiu suppeditavit, unde ægrotis succurreretur. Equitibus Hospitalariis S. Joannis concessit, ut ex eorum ordine decem in Urbe remanerent, qui ægrotorum suorum per annum curam gererent.

Sæcul. XII.
A.C. 1187.

Ep. ap. Rog.
p. 645.

Christianis Latinis Hierosolyma egressis, Musulmani magnis clamoribus summam lætitiã professi sunt. Tumque Cruces dejecerunt, a primis Crucigeris, cum Hierosolyma potiti sunt, in multis urbis regionibus erectas. Has inter nulla magis spectabilis fuit quam illa ex cupro deaurato super supremum fornicem Ecclesiæ Templariorum posita. Quam cum cadere cernerent Christiani etiam orientales Schismatici lacrymas non tenuerunt. Eam Saladinus exinde Califæ Bagdatensi transmisit, quam ille tanquam homagium Prophetæ Mahometis Successori debitum per compitã raptari, conculcari, luto scœdari, & tandem in locum, quo cunctæ urbis spurcitæ confluebant, projici jussit. Campanæ omnium Ecclesiarum Hierosolymæ

O 5 præ

Sæcul. XII.
A.C. 1187.

præcipiente Saladino contractæ. Ecclesiam vero Patriarchalem, olim magnam Moscheam, in loco, ubi Templum Salomonis steterat, extractam, ablatis omnibus Christianæ Religionis vestigiis, antequam intraret, aqua rosacea intus forisque ablui voluit, ac die Veneris sequente Religionis suæ Ritus restituit. In ea collocavit Cathedram miræ artis, olim a Nuradino Aleppi inchoatam, cui perficiendæ princeps ille sæpe manus proprias admovebat, edito voto, se eam in Ecclesia Hierosolymitana positurum, Christianis, ut sperabat, exinde ejectis. Ergo votum a Nuradino conceptum Saladinus implevit. In facie ædificii, ingredientibus adversa, hæc verba inscripta: *Servus Dei Joseph filius Job, semper Victoris, Rex Nacer Salab-eldin Inscriptionem hanc posuit, postquam Deus hanc urbem ipsius manibus occupavit, anno quingentesimo octogesimo tertio, ut gratias ageret, peccatorum suorum remissionem, & in omne tempus ejus misericordiam peteret.*

Reliquæ omnes Ecclesiæ in Musulmannorum templa mutatæ, excepta Ecclesia S. Sepulchri, quam Christiani Syri data pecunia redemerunt. In aliis Christiana mancipia cogebantur, imagines & picturas, quibus ornabantur eradere, muros abluere, & pavementum duro labore

labore detergere. Saladinus collegiis, Sæcul. XII. 2
 quæ olim Califæ & Soldani Antecessores A. C. 1187.
 sui Hierosolymæ condiderant, restitutis,
 iterum Theologiam & Jurisprudentiam
 Musulmannorum doceri iussit. Suade-
 bant Saladino non nulli, zelo Mahome-
 tano stimulati, ut Ecclesiam S. Sepulchri
 ceteraque sacra loca omnia destrueret,
 his enim permanentibus, Idololatriam
 Christianorum foveri, & continuo reno-
 vari injuriam, quam Messia inferrent,
 cum Passionis ejus vestigia colerent.
 Nam Musulmanni non Jesum sed Judam
 Cruci fuisse affixum credunt. His adde-
 bant; si cultus Religiosi materia Chri-
 stianis adimeretur, futurum, ut sublata
 belli, quod Sacrum putarent, causa,
 acquiescerent. At sagacioribus Musul-
 mannorum aliud videbatur. Hi suggere-
 bant Saladino; non oportere ipsum magis
 de Religione sua angere, quam Califam
 Omarum, qui hanc Ecclesiam servasset.
 Locis Sanctis deletis, ad paupertatem
 redactum iri urbem Hierosolymam, pere-
 grinis cessantibus, id est, fontibus di-
 vitiarum obstructis. Denique fore, ut
 ista Christianis Occidentis illata igno-
 minia, etiam Christianos Orientis offen-
 dat, qui ad seditionem commoti, ad
 defendendam causam communem Lati-
 nis, non levi reipublicæ periculo, jungi
 possent. Saladinus, his argumentis victus,
 omni-

Sæcul. XII. omnibus Christianis Sacra Loca invifendi
 A.C. 1187. potestatem fecit, si modo inermes veni-
 rent, & imperata penderent.

Hunc in modum Hierosolyma in pote-
 statem Infidelium rediit, postquam ea
 Christiani Latini per annos octoginta
 octo potiti fuissent. Soli autem egressi
 sunt, nam Christiani Syri, Georgiani,
 Armeni & Græci ibi remanserunt. Re-
 gina Sibilla, Heraclius Patriarcha, cum
 Templariis, Hospitalariis & magna po-
 puli frequentia Antiochiam se recepe-
 runt. Multi alii Tripolim diverterunt,
 quibus Comes, ejusque satellites, eri-
 puerunt, quæ Saracenorum beneficio
 habebant; atque mulier aliqua, omni-
 bus rebus a Tripolitavis spoliata, cum
 jam non superesset, quo prolem suam
 aleret, ferina rabie occupata infantem
 suum in mare projecit. Christianorum
 non nulli Hierosolyma pulsi Alexandriam
 & in Siciliam navigarunt. Latinis autem
 in Oriente post illam cladem non nisi tres
 urbes, memoratu dignæ, Antiochia,
 Tyrus, & Tripolis superfuerunt (*).

Ep. ap. Rog.
p. 645.

Jac. Vitr.
c. 95.

§. XII.

(*) Cur omnipotens Deus idem & sapientis-
 simus permiserit, Terram Sanctam manibus Chri-
 stianorum eripi & rursus in Infidelium potestatem
 devolvi, nemini quidem mortalium temere scruta-
 tari licet; Sed præter multos alios Antonius
 Pagi hac de re ad hunc annum Numero V. ex
 Nangio

S. XII.

Sæcul. XII.

A.C. 1187.

Urbani obitus. *Gregorius octavus*
Papa.

Tristissimo nuncio in Italiam perlato, *Gervas. in*
 Urbanus III. Papa mœrore confectus *Chron.*
 eodem mense obiit. Nam cum pax in *p. 1507.*
 ter ipsum & Fridericum Imperatorem, *V. Pagi.*
 ut videbatur, Ecclesiæ honorifica, resti- *an. 1187.*
 tuta *n. 13.*

Nangio ita differit: Porro Guido Rex, & Magister Templi in monumentum Victoriæ reservantur . . . Sic exigentibus meritis suis in manus Gentilium Nostri sunt traditi, ac a Turcis subjugati. Nimis enim in luxus varios & Clerus & populus effluxerant, totaque terra illa facinoribus & flagitiis sordescibat; Sed & qui Religionis habitum præferabant, regularis moderantiæ fines turpiter excesserant, rarus in Monasterio, rarus in Sæculo, quem non vel avaritiæ, vel luxuriæ morbus inficeret. Denique quid mirum, si Deus Christianos e Terra Sancta ejecit, qui ibi non sanctiorem vitam quam alibi degebant, cum Judæos ob peccata sua toties inimicorum suorum manibus tradiderit? Præterea Exemptio Templariorum a Jurisdictione civili Regis Hierosolymæ multum nocuit; nam, ut ea prætereamus quæ Lib. LXXII. N. XLII. narravimus, Rex Balduinus IV. ut Libro superiore Num. XLIV. vidimus, Musulmannos tempore Induciarum a Templariis captos reddere non est ausus, ne Ordinem hunc offenderet, qui

qui

Sæcul. XII. A.C. 1187. tuta fuisset, relicta Verona, Ferrariam venit, ubi ei literæ de Terra Sancta amissa redduntur; nec mirum, quod Vir senectute jam fractus in morbum incidit, quo decima nona Octobris anno millesimo centesimo octogesimo septimo decessit, postquam in Sacra Sede annum unum & undecim prope menses sedisset. Urbano altera die in Ecclesia Cathedrali Ferrariensi sepulto, vigesima prima ejusdem mensis, Papa eligitur Albertus, patria Beneventanus, Cardinalis Presbyter Tituli S. Laurentii in Lucina, Ecclesiæ Romanæ Cancellarius, qui Gregorius VIII. nominari voluit, die Dominica, illius mensis vigesima quinta consecratus. Vir sapiens & facundus, vitæ pudicæ & rigidæ, magnoque zelo præditus. Sed Sacram Sedem non diutius quam ferme duos menses tenuit.

Hug. Antis.

to. 10. Conc.

Greg. ep. 1.

Nihilominus brevi hoc temporis spatio Gregorius nihil non egit, quo Fidelium animos ad suscipiendam expeditionem Hierosolymitanam accenderet.

Quod

qui nemini nisi soli Romano Pontifici obediebat, sicque ad restaurandum bellum iustitia destitutum & intempestivum compulsus est. Iterumque Templarii inducias & datam Infidelibus fidem sub Rege Guidone Lusignano, duce Arnaldo, violarunt. Quæ res Christianorum Regno Hierosolymæ exitium attulit.

Quod dispicimus ex proluxa epistola Fer- Sæcul. XII.
rariæ vigesima nona Octobris data, in A. C. 1187.
qua omnes hortatur ad placandam Di-
vinam Justitiam & agendam pœniten-
tiam, junctis bonis operibus. Illis qui
sacrum iter ingressuri essent eadem bene-
ficia ac Antecessores sui concessissent pro-
mittit, id est peccatorum suorum Indul-
gentiam plenariam, & pro bonis suis
temporalibus Ecclesiæ præsidium (*).
In

(*) Verba Summi Pontificis in epistola sua
sunt: *Eis autem qui corde contrito itine-
ris hujus laborem assumpserint & in pœniten-
tia peccatorum & fide recta decesserint, ple-
nam suorum criminum Indulgentiam & vitam
polluemur æternam. Sive autem supervixe-
rint, sive mortui fuerint, impositæ satisfactio-
nis relaxationem de omnipotentis Dei miseri-
cordia & Apostolorum Petri & Pauli & nostra
se noverint habituros.*

Ex his dispicimus, Summos Pontifices, In-
dulgentiam concedentes, eadem quoad sensum
formula: *Impositæ Satisfactionis relaxationem,*
usos fuisse, quam hodieque adhibent. Ex il-
lis vero verbis: *Qui corde contrito itineris hujus
laborem assumpserint & in pœnitentia . . . de-
cesserint,* confunditur quorundam Protestantium
protervia cum Interprete Fleurii germano in
sua præfat. ad part. I. pag. 20. mentientium:
*Man verwandelte, in der römischen Kirche, die
Herzensbuße in eine Geldbuße; man glaubte, daß
einer*

Sæcul. XII.
A.C. 1187.

Roger
p. 636.

In altera epistola, eadem die data, speci-
ciatim modum pœnitentiæ præscribens
ait: *Nos de Fratrum nostrorum* (id est
Cardinalium) *communi consilio, multis*
Episcopis approbantibus, statuimus, ut
omnes usque ad quinquennium saltem per
omnes sextas Feras in cibo quadragesi-
mali jejurent, & Missa ad Nonam can-
tetur. Iis, qui bene valent, Feria quarta
& Sabbato a carnibus abstinendum erit.
Nos autem & Fratres nostri in secunda
quoque Feria nobis & familiis nostris esum
carnis interdiciamus. Quicumque hanc le-
gem transgressus fuerit, eodem modo, ac
si abstinentiam quadragesimalem violas-
set, habebitur. Aliquis illius ævi Scri-
ptor subjungit, Cardinales quoque una
promississe, se abjectis omnibus divitiis
& deliciis Crucem verbo & exemplo
prædicaturos, nulla munera ab iis, qui
causas in Curia haberent, accepturos,
se non equituros, quamdiu terra ve-
stigiis & Mysteriis Domini consecrata in
potestate Infidelium esset, Hierosoly-
mam ceteris præituros, & stipem in
via collecturos.

Quia

einer mehr hierinn thun könne, als er zu thun
schuldig sey. Die sogenannten Schullehrer siengen
an diesen dem menschlichen Herzen so angenehmen
Irrthum prächtig zu schmücken ꝛc.

Quia juxta Canones Mandata morte mandantis extinguuntur, Gregorius Papa, veritus, ne qui magnis expensis Urbani Papæ literas impetrassent, ad causas suas in ipsis locis discutiendas & definiendas, pro aliis impetrandis novos sumtus facere cogerentur, biduo post Ordinationem suam, Epistolam ad omnes Prælatos Ecclesiæ directam edi jussit, qua omnia hujusmodi Mandata, ab Antecessore suo, sex mensibus antequam moretur, concessa, rata & valida habuit.

Sæcul. XII.
A.C. 1187.

ep. 3.

Guil. Neubr.
3. c. 22.

§. XIII.

Gregorii obitus. Clemens III.
Papa.

Vetere inimicitia inter Pisanos & Genuenses, quorum civitates illa tempestate opulentissimæ & terra marique potentissimæ erant, gliscente, eos Gregorius Papa reconciliare aggressus est, ut junctis viribus concordēs ad recuperandam Hierosolymam mitteret. Eo consilio Pisas petiit, ubi die nona Decembris honorifice exceptus, advocatis etiam Genuensium Primoribus, utraque parte præsentē, tam sapienter tamque suaviter peroravit, ut mitigatos animos ad pacem inclinaret, cum febre correptus, post paucorum dierum morbum decima sexta ejusdem mensis defunctus est.

Chron. Pis.
to 3. Ital.
Sac. p. 889.

Eu. Pag. 1187.
n. 1.

Hist. Eccles. Tom. XVIII.

P est,

Sæcul. XII.
A.C. 1187

est, postquam Petri Sedem uno mense & viginti septem diebus occupasset (*). Triduo exinde consumto, nempe decima nona Decembris, anno millesimo centesimo octogesimo septimo, legitimis comitiis electus est Papa Paulus seu Paulinus,

(*) Notabit attentus lector, multos Summorum Pontificum pro Ecclesia in exilio fuisse vita functos. Hic enim videmus Gregorium VII. Pisis, sicut antea Antecessores ejus Urbanum VIII. Ferrariæ, & Lucium III. Veronæ in ærumnis occubuisse. Unde merito obstupescendi locus est, quod Mosheimius Romanos Pontifices, supremos Ecclesiæ Christi Vicarios per omnia sæcula ab universa Ecclesia ac ipsius Mosheimii Majoribus habitos, viros plerumque senes, Romanorum pervicacia sæpissime exules, & in exilio mortuos, Dignitate Papali nunquam hæreditaria, brevi tempore potitos, sexcentis ærumnis vexatos, & omnium Ecclesiarum solitudine pressos, usque adeo flagitiose calumniari non erubescat, ut dicat, per multa sæcula vix unum alterumve Papam, a maximis vitiis liberum, Romæ sedisse. Nempe præjudicia infantia, & odium homini Protestanti, a Magistris suis per sexcenta de Fide & Ecclesiæ Romanæ mendacia conciliatum & accensum, amorem veritatis superant ac extinguunt. Catholici Lectores observabunt, non soli Gregorio VII. Pontifici maximo causam conquerendi fuisse: Dilexi judicium & justitiam, propterea morior in exilio. Brevia.

nus, Romanus, Cardinalis, Episcopus Prænestinus, Clemens III. appellatus, altera die, vigesima Decembris coronatus, qui Sacram Sedem annis tribus & totidem mensibus tenuit.

Sæcul. XII.
A. C. 1188.

Gervas. an.
Ann. Mailr.

§. XIV.

Pax cum Romanis.

Corona Pontificali accepta, Clemens nihil antiquius habuit, quam ad Romanos cives suos Legatos mittere, qui tandem pacem solide stabilire conarentur. Discordiæ vero causa erat urbs Tusculanensis, decem milliariis seu tribus leucis Roma distans, in ditione Papali, cui Romani implacabili odio arma inferebant, nihil ardentius cupientes, quam hanc civitatem furori suo habere obnoxiam. Idque inter Romanos & Papam a tempore Alexandri III. acerrima jurgia creaverat. Ubi Legati Clementis Papæ Romam pervenerunt, cives hortati sunt; electum Papam ut Patrem suum complecterentur, & pristina concordia membra capiti unirentur. Responderunt illi: *Id ipsum magis cupimus, quam Dominus Papa, ea tamen conditione, ut damnum nobis illatum resarcire & probrum delere adjuvet, quod in bello Tusculanensi sustinimus. Copias suas, cum opus fuerit, contra hanc urbem movere jubeat, si alia via pacem ad bo-*

Rog. p. 689.

Sæcul. XII. *norem nostrum ab ea extorquere non pos-*
 A.C. 1188. *simus; tandem, eam nobis tradat, a qua*
 nostro arbitrio pœnas exigamus, si a-
 liquando hanc potestati suæ subjecerit.

ap. Baron.
 an. 1188.

His conditionibus inita sunt fœdera, edito Decreto, in quo Senatus populusque Romanus, sermone ad Papam directo, summatim dicunt: *Hodie reddimus tibi Senatum, urbem, & monetam. Reddimus Ecclesiam S. Petri ceterasque ob belli rationem hypotheca gravatas, ab omni onere liberatas, eo pacto, ut tertiam partem monetæ Senatui cedas. Aëris alieni pars singulis annis solvatur, quo Ecclesiæ obligabantur, donec pecunia debita tota reddatur. Et sicut sors minuetur, ita pro rata parte etiam usura minuantur. Nos Senatores & successores nostri singulis annis fidelitatem tibi jurabimus. Iis vero, eorumque ministris, tum etiam Judicibus, Causidicis, Scriuariis, quos constitueris, præbendas, ut mos fuit, conferes.*

Quacunque ratione Tusculanum destruat, salva sint Romanæ Ecclesiæ jura sua & feuda. Nobis vero intra menses sex muros urbis omnes & Arcem trades, quam restaurare nunquam tibi liceat. Præterea si Tusculanum exinde usque ad primam Januarii in nostra potestate necdum sit, cives excommunicabis, & contractis militibus tuis ex Campania

Et Romandiola, junctis viribus nostris, ad ea, quæ de urbe eorum statuta sunt, implenda compelles. Si his annueris, fidem jurejurando firmabimus, quod tibi, Episcopis, Cardinalibus, toti Curia tua, omnibusque ad te venientibus, commorantibus, aut redeuntibus securitatem præstituri simus, salvis Romanorum vectigalibus, quæ bona fide exigent. Cum Romanos ad defendendum Patrimonium S. Petri evocaveris, ibunt, si stipendia dederis, qualia ab Antecessoribus tuis accipere consueverunt. Hæ fuere præcipuæ conditiones Decreti, pacis causa editi, quod die ultima Maji, Indictione sexta, nempe hoc anno millesimo centesimo octogesimo octavo datum. Annus quoque a restituto Senatu quadragesimus quartus appositus. Unde dispicimus, Romanos Senatum suum rursus in vectum credidisse anno millesimo centesimo quadragesimo quarto, & quidem sub Pontificatu Lucii II. quamvis anno superiore sub Innocentio II. id moliri cœpissent. Ceterum Clemens III. jam decima tertia Martii Romæ versabatur.

Antequam Pisis discederet, cives in majore Ecclesia congregatos hortatus, ut omnes vires ad Palæstinam e manibus Infidelium vindicandam intenderent, expeditionis Ducem dedit Ubal- dum ipsorum Archiepiscopum, cui S. Pe-

Sæcul. XII.
 A. C. 1188.

Sup. lib.
LXIX. §. 1.
4. 6. ep. 6.

Chro. Pis. to.
3. Ital. Sac.
tri p. 883.

Sæcul. XII.
A.C. 1188.

tri Vexillum, cum potestate Sacræ Se-
dis Legati, tradidit. Hic Præsul circa
medium Septembris, eodem anno mil-
lesimo centesimo octogesimo octavo,
cum quinquaginta navium classe e por-
tu solvit, cumque Messanæ hyemasset,
sexta Aprilis, anno sequente, Tyrum at-
tigit. Ceterum, conjicere est, Clemen-
tem Papam Pisis commoratum fuisse,
cum preces peculiare in tota Ecclesia
pro pace, pro libertate Terræ Sanctæ,
& Christianis apud Saracenos captivis,
peragi jussit.

Roger. 651.

§. XV.

Decimæ Saladinae.

Rigord. p. 24
Rog. p. 641
G. Neubr.
3. c. 23.
to. 10 Conc.
p. 1759.

Reges Franciæ & Angliæ in quodam lo-
co, inter Gisfortium & Triam sito, a
Festo S. Hilarii, decima tertia Januarii,
usque ad Festum S. Agnetis, seu diem
vigesimalam primam ejusdem mensis, ad
colloquendum congressi sunt. Aderant
Episcopi, & Optimates utriusque Regni,
ac etiam Guilielmus Archiepiscopus
Tyriensis, qui ante annos decem ad Con-
cilium Lateranense advenerat. Is cum
vehementer & apposite de præsentibus
Ecclesiæ Orientalis calamitatibus, & im-
minenti, nisi Occidentis Principes opem
ferrent, exitio, in hoc Conventu dixis-
set, ambo Reges, missis jurgiis, quæ ad
hunc congressum occasionem præbue-
rant,

rant, in mutuam gratiam redeunt, Sæcul. XII.
 Crucem ab Archiepiscopi manu acceperunt. A.C. 1188.
 Regum exemplum secuti sunt
 Gualterius Archiepiscopus Rotomagen-
 sis, & Richardus Cantuariensis, seu po-
 tius votum jam ante editum confirma-
 runt. Præterea Episcopi Belovacensis,
 & Carnotensis, Hugo III. Dux Burgun-
 diæ, Richardus Comes Pictaviensis, fi-
 lius Regis Angliæ natu maximus, Phi-
 lippus Comes Flandriæ, Theobaldus Co-
 mes Blesensis pluresque alii Principes ad
 suscipiendam peregrinationem Hieroso-
 lymitanam condixerunt. Ut vero Fran-
 ci & Angli facile internoscerentur, Rex
 Franciæ cum gente sua Cruces rubeas,
 at Rex Angliæ cum suis virides gessit.

Exinde, cum Rex Angliæ Cenoma-
 num venisset, edito Decreto præcepit,
 ut unusquisque hoc anno millesimo cen-
 tesimo octogesimo octavo decimam re-
 dituum & bonorum mobilium suorum *Rog. p. 641.*
 ad succurrendum Terræ sanctæ daret,
 exceptis armis, equis & vestibus militum,
 item equis, libris, vestibus, & oratorii
 suppellectile Clericorum, atque tam Cle-
 ricorum quam Laicorum gemmis aut la-
 pidibus pretiosis. Excommunicatio illis
 denunciata, qui hanc Decimam non sol-
 verent. Constituti Mandatarii, qui eam
 in singulis parochiis colligerent, nempe
 aliquis ex Templariorum ordine, aliquis

Sæcul. XII. ex ordine Hospitalariorum, aliquis ex
A.C. 1188. ministris Regis & aliquis ex Clericis E-
 piscopi. Proficiscentes ab hac Decima
 exempti eam a Vasallis suis accipiebant.
 Cives autem & agricolæ, qui non peti-
 ta licentia Dominorum suorum sacræ
 militiæ nomen dederant, nihilominus
 ad decimam præstandam compelleban-
 tur.

Decretum
 Cenoma-
 nense.

Prohibitum, ne ullus enormiter ju-
 raret, ne aleis vel alio lusu, a solius for-
 tunæ arbitrio pendente, bonas horas
 perderet, ne quisquam veste varii colo-
 ris, vel grisio, vel Martis Scythicæ exu-
 viis, vel purpura uteretur. Nemo ve-
 stibus inhoneste dissectis incedat. Qui-
 libet contentus sit duobus ferculis em-
 tis, nec ducat aliquam secum mulierem,
 nisi forte lotricem peditem, in quam
 nulla cadat suspicio. Qui ante
 susceptam crucem redditus suos pignori
 dedit, nihilominus illa rata parte frua-
 tur, quæ huic anno memorato compe-
 tit, & toto itineris sacri tempore usu-
 ram dare non teneatur. Crucigeris om-
 nes suos redditus, etiam Ecclesiasticos
 oppignorare liceat. In sacra expeditio-
 ne morientes de pecunia sua, quam ha-
 buerint apud se, pro domesticis suis, pro
 subsidio Terræ sanctæ, pro pauperibus
 testari possint. Hoc est Decretum, a
 Rege Angliæ, cum in civitate Cenoma-
 nensi

nenſi verſaretur, ſuadentibus Episcopis & Principibus, conditum.

Sæcul. XII.

A. C. 1188.

Conſtitutis mandatariis, qui decimas citra mare cogere, in Angliam trajecit, quam cum trigefima Januarii attigiffet, undecima Februarii apud Gaintingtoniam in agro Northamptonienſi frequentiffimum Conventum Episcoporum & Optimatum celebrans, Decretum Cenomani conditum legi juſſit. Tum Balduino Archiepifcopo Cantuarienſi, & Gilberto Epifcopo Roſenſi, ejus Vicario, ſacrum bellum prædicantibus, multisque crucem amplectentibus, Rex in omnes Comitatus miniſtros miſit, ad decimas colligendas, quæ tanto rigore a civibus exigebantur, ut recuſantes carceri manciparentur. Judæi quoque ad eas dandas compulſi; unde ingens pecuniarum vis in ærarium Regis confluit. Is Epifcopum Dunelmensem in Scotiam miſit, ut decimas poſceret, & licet Rex quinque millia marcarum argenti offerret, quibus Scotiam ab hoc onere redimeret, Rex Angliæ tamen non acquievit.

Gervas.
p. 1522.

Philippus Rex Franciæ quoque, amplo Concilio Præſulum & Principum Regni ſui, in Dominica quarta Quadrageſimæ, hoc anno millefimo centefimo octogefimo octavo in diem vigefimam ſeptimam Martii incidente, Pariſiis coacto, ſimile Mandatum edidit, quo nempe omnes, ad

Rigord. p. 25
to. 10 Conc.

p. 1763.

Sæcul. XII.
A.C. 1188.

facram expeditionem non proficiscentes, saltem decimam partem omnium rerum suarum mobilium & reddituum hoc anno dare jubebantur. Exceptis tribus Ordinibus Cisterciensi, Cartusiano, Fontis-ebraaldensi, & Leprosorum Domibus. Dies debitoribus dicta prorogabatur, si creditoribus securitatem sortis præstarent. Hæc subsidia Saladini decimæ dicta sunt.

Ep. 112.

Petrus Ble-
sensis.

Petrus Blesensis, datis hac de re literis, Henricum Drocensem Episcopum Aurelianensem, Regis Philippi Augusti patruelem, hortatus est, ut Regi suggereret, Clericos ab hac Decimatione debere esse exemptos. *Tempus est loquendi, inquit, ne sequaris exemplum ceterorum Episcoporum, qui Regi vestro adulantur. Si Regis reverentia te turbat, aliquos ex fratribus tuis, qui Spiritu Dei aguntur, legationis socios accipe, tumque fortiter ac suaviter loquimini. Si Rex sacram expeditionem vult suscipere, absit, ut necessarios sumtus ex Ecclesiarum & pauperum spoliis sibi comparet, sed ex ærario proprio & præda hostibus detracta, qua Ecclesias locupletari, non vero sub defensionis specie diripi oporteret. Princeps ab Episcopis & Clericis non pecunias sed orationes tantum exigat. Monete Principem vestrum, ipsum de manu Ecclesiæ gladium*
acce-

accepisse, quo eam protegat, & si modo Sæcul. XII.
 Ecclesiæ precibus indigeat, eas ipsi tem- A C. 1188.
 pore mortis suæ multo magis necessarias
 fore, quo omnis ejus potentia evanescet.

Nullus autem hujus admonitionis effe-
 ctus fuisse apparet, nec etiam illius Epi-
 stolæ, quam Petrus de eodem argumen-
 to ad Joannem Constantinensem, Eccle- Ep. 121.
 siæ Rotomagensis Decanum, & Gualte-
 rii Archiepiscopi nepotem, dedit. In
 ea Joannem excitat, ut auctoritate, qua
 apud Regem Angliæ valebat, ad asse-
 rendam Ecclesiæ libertatem, uteretur.

Libera est, inquit, qua libertate Christus Gal. 4. 31.
 eam liberavit, si autem exactionibus ob-
 ruitur, in servitutem, sicut Agar, redi-
 gitur. Si Principes vestri, pie peregri-
 nantium speciem præbentes, Ecclesiam
 volunt efficere tributariam, quicumque
 filius Ecclesiæ est, virili vigore se oppo-
 nat, & potius mortem subeat, quam Ma-
 trem suam servitute opprimi patiatur.

Hic dispicimus familiarem illi ætati
 abusum, cum voces *Ecclesia* & *Libertas*
 in sensu ambiguo acciperentur; quasi-
 vero Ecclesiam, a Jesu Christo libera-
 tam, soli viri Ecclesiastici constituerent,
 aut nos a quocunque alio onere quam
 a peccato & Cæremoniis Legalibus re-
 dempti fuissetus.

Petrus Blesensis iterum de Decima
 Saladina mentionem injicit, in Tractatu
 de

Sæcul. XII. de Itinere Hierosolymitano. *Crucis*
A.C. 1188. *inimici, ait, qui ejus filii esse deberent,*
editi voti meritum sua avaritia perdunt,
nefandam Decimam exigentes, & Crucis
 p. 428. *signum mutant in scandalum.* Hunc
 Tractatum vero Petrus in eum finem
 scripsit, ut Crucigeros ad celeriter pro-
 ficiscendum hortaretur, & Principum
 tarditatem vituperaret, qui privati lu-
 cri amore iter differebant.

Chron. Rei-
cher sp. an.
 1188.

Chron. Cla-
revall. eod.
Otto a
S. Blas. c. 31.

Anon. to. 5.
Canis

Eadem die qua Rex Philippus Comi-
 tia Parisiis celebrabat, Fridericus Impe-
 rator Moguntia, nempe Dominica IV.
 Quadragesimæ, die vigesima septima
 Martii, solemnè Curia præerat, præsen-
 te Cardinale, Henrico Episcopo Alba-
 nensi. In his Comitibus, infanda captæ
 urbis Hierosolymæ narratio, quæ literis
 fuerat mandata, publice recitata. At-
 que Fridericus Imperator, Fridericus fi-
 lius ejus Dux Sueviæ, & sexaginta octo,
 Principum tam Ecclesiasticorum quam
 Laicorum viri præcipui, ad suscipiendum
 iter sacrum voto se obstrinxerunt. Om-
 nis conditionis homines ad hoc bellum
 incitati, & dies, locusque, unde itineri
 se darent, in Festo S. Georgii, vigesima
 tertia Aprilis, anno sequente, Ratisbo-
 næ præstituti. Ne exercitus multitudine
 laboraret, Imperator pœnam excom-
 municationis iis denunciari jussit, qui
 copiis suis se jungere auderent, nisi sal-
 tem

tem tribus argenti marcis instructi. Sæcul. XII.
 Henricus S. Sedis Legatus Moguntia A.C. 1188.
 Leodium venit, ubi cum ad populum e
 Cathedra dicens in vitia Clericorum, Chron. Clava-
 præcipue autem in Simoniam, vehemen- raval. an.
 tissime fuisset invecus, Canonici sexa- 1187. Ægid.
 ginta sex Præbendas suas abdicarunt, Aurvall. de
 quibus ipse in aliis Ecclesiis Beneficia da- Episc. Leod.
 ri curavit. Rudolphus Episcopus ad c. 56.
 delenda sua peccata, Cruce accepta, an-
 no millesimo centesimo nonagesimo iter
 ingressus est.

§. XVI.

Schismatis in Scotia finis.

Hoc anno millesimo centesimo octo- to. 10. Conc.
 gesimo octavo ineunte, Clemens III. ep. 1. 2. 3. 4. 5.
 Papa veterem litem inter Joannem Epi- Roger. Hov.
 scopum S. Andreae in Scotia & Hugonem p. 646.
 ejus Adversarium compositurus, hac in Sup. Lib.
 causa illius Regionis Episcopis, Scotiae LXXIII.
 & Angliæ Regibus, & Ecclesiæ S. Andreae §. 27.
 Clericis scripserat, ac in iis literis, quas
 omnes Pisis die decima sexta Januarii
 dedit, si rei summam spectamus, dicit:
*Quia Hugo ab Urbano Papa III. voca-
 tus ad Sacram Sedem venire contumaci-
 ter recusavit, eum ab Episcopatu S. An-
 dreæ removimus, ab usu Episcopalis Of-
 ficii suspendimus, & subiectos a fide-
 litate, qua ei tenebantur adstricti, absolvi-
 mus. Cumque sanctorum Canonum san-
 ctiones*

Sæcul. XII.
A.C. 1188

*Etiones Ecclesias vacantes regimine Pasto-
rali diutius cavere inhibeant, volumus,
ut Capitulum S. Andreae dignum sibi
Præsulem, & si fieri possit, Joannem
Episcopum, ejus merita nobis perspe-
cta sunt, eligat.* Tum Regem Scotiæ
hortatur, ut hunc Episcopum in gra-
tiam recipiat, & Regi Angliæ injungit,
ut Regem Scotiæ auctoritate, qua in i-
psum viget, ad id ipsum compellat. Has
Epistolas Joannes Episcopus Dunelmen-
sis, a Curia Papæ post Festum Purifica-
tionis rediens attulit, quæ cum Regi
Scotiæ prælectæ fuissent, tandem eo ad-
duci se passus est, ut Joannem Episco-
pum secum in gratiam redire permitte-
ret, eique quietam possessionem Episco-
patus Dunkeldensis concessit, ea condi-
tione, ut Ecclesiæ S. Andreae omnino re-
nunciaret. Joannes Episcopus amore
pacis, voluntati Regis acquievit. Hugo
Romam profectus, impetrata absolutio-
ne, in ipsa urbe decessit ex morbo, ab
insalubri aere contracto, quo complures
Cardinales, Romanorum opulentissimi,
plurimique ex populo peremti sunt. Rex
Scotiæ igitur Episcopatum S. Andreae
Cancellario suo Rogerio, Comitibus Lege-
cestriensis filio, Joanne Episcopo Dunkel-
densi præsentem & non repugnante, con-
tulit. Ita hæc causa, annis octo agitata,
finita est.

Rog. p. 649.

Rex

Rex Scotiæ, postquam ita Papæ satisfacisset, ut se regnumque suum a futuris censuris Episcoporum Angliæ liberaret, a Sacra Sede privilegium obtinuit, in quo Summus Pontifex constituit, ut Ecclesia Scotiæ soli Sedi Apostolicæ subiecta esset. Nominat Sedes Episcopales novem, quæ illa tempestate in Scotia numerabantur, videlicet S. Andreæ, Glascoviensem, Dunkeldensem, Dublinensem, Brechinensem, Aberdonensem, Moraviensem, Rossensem, & Catinensem. Tum subjungit: *Nemini liceat, nisi Romano Pontifici, vel Legato ab ipso latere destinato, in Regnum Scotiæ Interdicti vel Excommunicationis sententiam promulgare, & si promulgata fuerit, decernimus eam non valere. Nulli, nisi de Regno Scotiæ fuerit, aut de corpore Ecclesiæ Romanæ destinatus, licitum sit, in eo Legationis officium exercere. Causæ ob bona, in illo Regno posita controversæ, ad exterum tribunal non trabantur, nisi Romam fuerit appellatum.* Hæc Bulla decima tertia die Martii anno millesimo centesimo octogesimo octavo data est. Hucusque Episcopi Scotiæ Sedis Metropolitanæ Eboracensis Suffraganei fuerant, nec tamen apparet, hunc Archiepiscopum fuisse vocatum, aut petitum ejus consensum,

cum

Sæcul. XII.

A.C. 1188.

Ep. 6. Rog.
p. 651.

Sæcul. XII. cum tanta provinciæ ejus pars avel-
 A.C. 1189. leretur.

§. XVII.

Conventus in urbe Bernardi-Firmitate.

Rog. p. 651. *Chro. Clara-*
val. Profecioni sacræ Regum Franciæ & Angliæ moram attulit bellum, inter eos exortum, quo tenente, Richardus filius Regis Angliæ primogenitus sub præsidium Regis Franciæ se recepit. Principes conciliaturus Papa Henricum Cardinalem Episcopum Albanensem misit, qui cum sibi mandata diligenter exequitur, Attrebatî prima die anni millesimi centesimi octogesimi noni, morte occupatur. Corpus defuncti Claramvallem, ubi Abbas quondam fuerat, translatum, Sancto Malachiæ & Sancto Bernardo medium sepultum est. Comperita ejus morte Papa Cardinalem Joannem Anagninensem ad negotium pacis perficiendum misit. Is dicendi vi & suavitate Reges permovit, ut promitterent, se judicio Archiepiscoporum Remensis, Bituricensis, Rotomagensis, & Cantuariensis, in die octava Pentecostes, velle acquiescere. Tum sine mora Cardinalis & quatuor Archiepiscopi contra quemcunque, qui optatæ paci obstaculum poneret, solis Regibus exceptis, sen-
 ten-

tentiam excommunicationis pronuncia- Sæcul. XII.
runt. A. C. 1189.

Statuta die, Reges prope Bernardi-
firmitatem, Richardus Comes, Cardi-
nalis, Archiepiscopi quatuor, & utrius-
que Regni Optimates, præsto fuerunt.
Petiit Rex Franciæ, ut sponsalia, inter
Alesiam sororem suam & Richardum
Comitem Pictaviensem inita, impleren-
tur, idem Princeps sibi de feudis suis
fidem juraret, Joannes autem ejus frater
sacra militiæ nomen daret. Denegavit
omnia Rex Angliæ, nisi quod diceret,
consensurum se in nuptias Alesia & Joan-
nis filii sui, nempe cujus ingenium &
indolem non ita ac Richardi pertimesce-
bat. Itaque, cum nihil ageretur, Car-
dinalis Joannes Anagniensis minatus est,
nisi Rex Franciæ postulata Regi Angliæ
concederet, se totam Franciam Interdi-
cto subjecturum. Cui respondit Rex,
se ejus sententiam neutiquam formida-
re, nec obsecuturum esse, quidquid pro-
mulgasset, utpote a Justitia alienum.
*Nec enim, ait, Ecclesiæ Romanæ jus est,
censuras in Regnum Franciæ denuncian-
di, cum Rex Vasallos rebelles domat,
cumque injurias & contemptum Majesta-
tis suæ ulciscitur.* Subjunxit, Cardina-
lis integritatem Regis Angliæ nummis,
qui vulgo *Sterlingi* dicebantur, fuisse
Hist. Eccles. Tom. XVIII. Q deli-

Sæcul. XII. de libatam. Hæc sunt verba Rogerii Ho-
 A. C. 1189. vedeni, Scriptoris Angli.

p. 652.

§. XVIII.

Henrici II. Regis Angliæ mors.

Brevi autem post tempore, nempe men-
 se Junio exeunte, Henricus Rex ad
 paciscendum cum Rege Philippo com-
 pulsus est; quin etiam totum se ejus vo-
 luntati permisit, atque statutum, ut an-
 no sequente circa medium Quadragesi-
 mæ Veselium convenirent, unde profe-
 ctionem in Palæstinam exordirentur,
 Rog. p. 654. Verum Henricus Rex acerrime commo-
 tus, quod se a filiis suis proditum senti-
 ret, Chinone in regione Turonensi in
 morbum incidit, filiisque maledixit; nec
 postea iis ignovit, quantumcunque Epi-
 scopi alique viri pii urgerent, ut ve-
 niam concederet. Ad extrema dedu-
 ctus in Ecclesiam portari & ante Altare
 poni voluit, ubi Communionem Corporis
 & Sanguinis Domini Nostri accepta,
 peccata sua confessus, & ab Episcopis
 Clericisque absolutus, die Jovis, sexta
 Julii, anno millesimo centesimo octogesi-
 mo nono, in Octava S. Petri, animam
 reddidit, postquam annis triginta qua-
 tuor regnasset. Sepultus est Fontisebral-
 di in choro Sanctimonialium.

§. XIX.

§. XIX.

Sæcul. XII.
A.C. 1189.*Richardus I. Rex Angliæ.*

Richardus Comes Pictaviensis Henrici
filius tunc natus maximus patri in
toto Regno successit, ac annis decem
sceptrum tenuit. Comperto, parentem
fatis functum, Rotomagum contendit,
ut Dux Normanniæ salutaretur, atque i-
sta solemnia die Jovis, in Festo S. Mar-
garitæ, vigesima Julii, anno millesimo
centesimo octogesimo nono, in Ecclesia
Dominæ Nostræ, Episcopis, Comitibus,
& illius provinciæ Baronibus præsentibus,
peracta sunt. Richardus de Altari
gladium Ducalem tulit, quo ab Archiepi-
scopo Gualterio præcinctus, etiam Ve-
xillum de ejus manu accepit.

Rog. p. 656.

Rad. Duc.

p. 646.

Jo. Brompt.

p. 1155.

Tum Dux Normanniæ, die Domini-
ca ante Assumptionem, decima tertia
Augusti, in Angliam delatus, cum Eccle-
sia Archiepiscopalis Eboracensis ab obi-
tu Rogerii jam annos octo vacasset, eam
Godefrido fratri suo, ex patris sui pelli-
ce nato, contulit, qui Episcopus Lincol-
niensis electus sed non ordinatus fuerat.
Electus est vero a Canonicis Eboracen-
sibus, Bartholomæo Huberti Gualterii,
ejusdem Ecclesiæ Decani Mandatario,
frustra reclamante, qui tam ante quam
post electionem peractam ad Papam ap-
pellavit, quod illi, quibus prima suffra-

Rog. p. 655.

Sup. lib.
LXXIII.

p. 34.

Q 2

gia

Sæcul. XII
A. C. 1189.

gia competebant, scilicet Episcopus Dunelmensis & Decanus Eboracensis abessent. Et Canonici quidem a proposito non dimovebantur, sed Richardus Dux præcepit, ut omnia in illo statu relinquerentur, in quo, cum pater suus moreretur, fuissent, nempe spiritualia Decanus & temporalia Ducis præfecti administrarent.

Richardus Dux, nam priusquam unctionem Regiam accepisset, hoc nomine ab omnibus appellabatur, deinde Londinum venit, ubi Episcopis & Regni Principibus præsentibus, solemni ritu, in Ecclesia Westmonasteriensi, die Dominica, tertia Septembris, a Balduino Archiepiscopo Cantuariensi, Archiepiscopis tribus, Gualterio Rotomagensi, Joanne Dublinensi, & Volmaro Trevirensi assistentibus, consecratus est. Trevirensis e Sede sua ejecerat Fridericus Imperator, Rudolpho ejus æmulo, ut retulimus, favens. Ceterum Volmarus eodem anno in Anglia mortem oppetiit, atque ad S. Andream Northamptonii sepultus est. Præterea cum Richardus inauguraretur, Episcopi quatuordecim & ferme omnes Abbates Prioresque adfuere. Rex ante Altare juramento se obstrinxit, quod pacem & honorem Ecclesiæ, quoad viveret, tueri vellet, deinde Justitiam populo suo administrare, no-

Sup. n. 3.
Radulf.
p. 648.

xias

xias leges & perverfas consuetudines ab-
olere, melioresque invehere. Quibus
peractis Balduinus Archiepiscopus, ut
mos est, Regem unxit, & vestibus Regiis
induto gladium ad reprimendos Eccle-
siæ hostes tradidit. Richardus coronam
suis manibus de Altari sumtam dedit Ar-
chiepiscopo, qui eandem Regio capiti
imposuit.

Sæcul. XII.
A.C. 1189.

§. XX.

Seditio in Judæos commota.

Post Missæ solemniam itum est ad convi-
vium, ubi Episcopi cum Rege sede-
bant, Principibus ministrantibus. Jus-
serat vero Rex a præcone in urbe de-
nunciari, ne illa die vel Judæi vel femi-
næ Regiam intrarent, ut veneficia devi-
taret, a quorum suspicione non aberant.
Nihilominus Rege mensæ accumbente
adsunt ad portam Judæi, dona ferentes.
Mox Christianorum aliquis Judæo co-
laphum impegit, ut ab ingressu arceret;
alii, hujus exemplo excitati, Hebræos
ferociter depellunt. Concurrunt de
populo multi, qui putantes, id Regem
jussisse, Judæis magno numero ad fores
Palatii stantibus manus injiciunt, initio
pugnis agebatur, tum saxis & fustibus.
Judæorum non nulli peremti, alii semi-
vivi jacebant. Quidam eorum, nomi-
ne Benedictus, Judæus Eboracensis, tam

Matth. Par.
p. 128.

Jo. Brompt.
p. 1159.

Sæcul. XII.
A.C. 1189.

male affectus est, ut spes vitæ vix super-
esset, & ipse mortis metu Baptismum re-
cipere constituerit de manu Prioris Do-
minæ Nostræ Eboraci. Interea per to-
tam urbem Londinensem rumor spargi-
tur, præcepisse Regem, Judæorum gen-
tem igne ferroque extingui. Non mo-
dicæ turmæ armatæ confluunt, tum ex
ipsa urbe tum etiam ex variis provin-
ciis, cum ingens multitudo hominum ad
augendam Regiæ unctionis pompam ad-
venisset. Ergo passim miseri Judæi cæ-
duntur, ac in domos arte militari mu-
nitas fugientes injectis flammis creman-
tur. Cum, necdum remotis bellariis,
hæc Regi nunciarentur, misit Optima-
tum præcipuos, ut tumultum compe-
scerent; qui vero a furente populo non
auditi recesserunt.

Altera die Rex quosdam seditioso-
rum comprehendi jubet, ex quibus tres
suspendio perempti, quod flammis, quas
ipsi sparserant, aliquot ædes Christiano-
rum arsisent. Tum, accersito ad se Ju-
dæo, qui baptizatus fuerat, quærit, an
esset Christianus? ille respondet, quod
non esset, sed ut mortem effugeret, pas-
sus fuisset, quod Christiani voluissent.
Rex deinde Archiepiscopum Cantuarien-
sem, compluribus aliis Episcopis præsen-
tibus, interrogat, quid de isto homine
decernendum esset, cui Præsul indignans:

Si

Si Hebræus hic ad Deum non vult accedere, ad Diabolum abeat.

Sæcul. XII.
A.C. 1189.

Ita Benedictus, ad Judæorum religionem reversus, haud diu post vita functus est, cujus corpus nec Judæi nec Christiani in sua cœmeteria inferri permiserunt. Rex autem, literis ad omnes Angliæ Comitatus missis, vetuit quidem, vim ullam Judæis afferri; sed priusquam hæc mandata promulgarentur, complures urbes, magis prædæ cupiditate quam Religionis amore incitatæ, crudelitatem Londinensium imitatæ fuerant. Multi Judæi, ut vim Christianorum a suis cervicibus arcerent, recepto Baptismo, uxoris suis Christianæ Ecclesiæ ritu iterum juncti sunt. Judæi vero, urbis Eboracensis incolæ, mense Martio, anno sequente, millesimo centesimo nonagesimo, die Veneris ante Dominicam Palmarum, quæ in decimam sextam diem illius mensis incidebat, ad unum omnes perierunt. Hi enim, numero quingenti, non recensitis mulieribus & parvulis, cum arcis munitissimæ turrim, Centurione & Vicecomite invitis, occupassent, ne a Christianis interficerentur, eamque dedere pertinaciter recusarent, incitantibus militum Ducibus, a populo oppugnantur. Hostibus diu notuque instantibus, magnam pecuniæ copiam ad suam suorumque vitam redimen-

Rog. p. 657.
Jo. Brompt.

Rog. p. 665.
Radulf. Dic.
p. 651.

Sæcul. XII. A. C. 1189. dimendam offerunt. Verum cum id quo-
 que inhumana populi sævitia denegas-
 set, aliquis Judæorum fratribus immane
 suggessit consilium, ut se se alter alterum
 necarent. Quod inaudita acti rabie exe-
 cuti sunt. Namque quilibet Paterfami-
 lias, apprehensa novacula, primo uxoris
 suæ, deinde liberorum, tum Domesticorum
 & tandem proprium jugulum sol-
 vit. Aliqui peracta nefanda cæde suo-
 rum cadavera in populi se se obsiden-
 tis capita effuderunt, alii in arcem Re-
 gis congesta unacum ædibus, subjectis
 ignibus, consumserunt. Qui, postquam
 ceteros suis manibus interfecissent, su-
 perfuerunt, a populo trucidati sunt, dum
 interim Christianorum pars Judæorum
 domos diripit & incendit. Ita Judæi E-
 boracenses interneccione deleti; cum-
 que etiam omnes tabulæ conflagrassent,
 Christiani debita, quibus Judæis obliga-
 bantur, satis expuncta crediderunt.

§. XXI.

Episcopatus Anglicæ.

to. 10. Conc.
 p. 1766.
 ex Rog.

Richardus Rex, accepta unctione, ad
 Abbatiam Pipewellensem digressus,
 frequentissimum convocavit Concilium,
 cui Balduinus Archiepiscopus Cantua-
 riensis, Gualterius Rotomagensis, Joannes
 Dublinensis, Volmarus Trevirensis, eo-
 dem postea anno in Anglia vita functus,
 omnes.

omnesque ferme Episcopi, Abbates & Sæcul. XII.
 Priores illius Regni interfuerunt. In hoc A.C. 1189.
 Concilio, medio Septembris celebrato,
 Rex complures Episcopatus, aliasque
 Dignitates Ecclesiasticas variis contulit,
 ac imprimis Richardo Archidiacono E- *Jo. Prompt.*
 liensi, & Thesauro Regni præfecto Epi-
 scopatum Londinensem *, biennio & sex * In Actis
 mensibus, post obitum Gilberti *Foliot*, *Lincolniens-*
 decima octava Februarii anno millesimo *fem.*
 centesimo octogesimo septimo defuncti,
 vacantem. Episcopatum Eliensem Gui-
 lielmo de Longo Campo, suo Cancellaria *God. p. 237.*
 rio dedit, & Episcopatum Saresberien-
 sem Huberto Gualterio, Decano Eboracensis, ut sic delinitus se electioni Gode-
 fridi nothi Regis fratris ad Sedem Ebo-
 racensem expetiti ultra non oppo-
 neret.

Balduinus vero Archiepiscopus Can- *Jo. Prompt.*
 tuariensis Ordinationi Godefridi obsti- *p. 1161.*
 tit; nam dicebat; sibi soli, utpote An-
 glia Primati, jus esse eum consecrandi,
 protulitque literas Regis Guilielmi No-
 thi, ex quibus ostendebat, rem ita
 fuisse judicatam inter Lanfrancum Ar-
 chiepiscopum Cantuariensem & Tho-
 mam Archiepiscopum Eboracensem,
 quam sententiam Alexander Papa II.
 confirmasset. Inter hæc Richardus *Rog. p. 659.*
 Rex, nunciis ad Clementem Papam
 missis, obtinuit ab eo Literas, &

Q 5 exem-

Sæcul. XII.
A.C. 1189.

& exemptionem, qua omnes illi, quibus custodiam Regni sui commissurus esset, ab onere suscipiendi protectionem sacram liberabantur; unde maximam pecuniæ vim cumulandi occasionem nactus est. Multum præterea auri congeffit ex pretio prædiorum suorum, quæ Episcopis vendidit, rursusque ex Juribus suis aliorumque, quæ cuicumque, ea emere volenti, tradidit. Hac ratione Richardus ad iter Hierosolymam suscipiendum se comparabat.

§. XXII.

Friderici Imperatoris Profectio.

Otto S. Blas. Eodem anno millesimo centesimo octogesimo nono post Pascha, quod in nonam diem Aprilis inciderat, Fridericus Imperator protectionem in Palæstinam exorsus est. Sequebatur parentem Fridericus Filius Dux Sueviæ, cumque conscenso navigio Danubii undis se commisissent, Posonium pervenerunt. Ubi Imperator, in Festo Pentecostes solemniter Curia celebrata, universum exercitum collegit. Tum, a Bela III. Rege Hungariæ, qui anno sequente, die Martis, prima Maji, postquam regnasset annis viginti tribus, e vita decessit, honorifice ut par erat exceptus, Bulgariam attigit, in qua regione sæpe via vi & armis

c. 32.
Arnold.
Lub. 3. c. 29.
Chro. Reichersp.
an. 1189.

armis aperienda fuit. Multa quoque Sæcul. XII.
 obstacula in provinciis, Imperatori Con- A. C. 1189.
 stantinopolitano Isaacio Angelo subjectis, Chr. Jo.
 ferro vincenda fuerunt, quamvis secu- Thevoretz.
 rum transitum promisisset. Sed inani c. 69.
 suspicione cruciabatur; eo consilio ve-
 nisse Fridericum, ut Imperium Con-
 stantinopolitanum, ipsi detractum, filio
 suo Friderico donaret.

Hunc timorem Isaacii menti indide-
 rat Dositheus, in quo singularem fiduciam
 posuerat. Is erat monachus Studiensis,
 & Isaacii, antequam Solium conscen-
 disse, amicus, cui prædixerat, Impe-
 ratorem futurum; quod ubi postea e-
 venit, tanti deinceps Isaacius hunc mo- Nicet. Isaac.
 nachum fecit, ut eum in Patriarchalem lib. 2. n. 4.
 Cathedram Hierosolymæ evexerit, post p. 258.
 obitum Leontii, viri commodis mori-
 bus & virtutibus clari. Nam, urbibus
 Hierosolyma & Antiochia a Latinis ex-
 pugnatis, Græci ibidem Patriarchas e-
 ligere non cessaverant. Dositheus igitur
 Imperatori Græcorum persuaserat,
 Fridericum Urbi Constantinopoli, ho-
 stili animo, imminere, quin etiam va-
 tacinabatur, per quam portam ingres-
 surus esset, & quantam cladem illaturus,
 adjiciens, eum deinde atroces pœnas
 Deo Vindici daturum. Præterea in Cru-
 cigerorum castris rumor narrabat, Isaa- Chron. Neu-
 cium cum Saladino foedera pepigisse, ad hersp. p. 267.
 divi-

Sæcul. XII. dividendam inter se Palæstinam, ejectis
A.C. 1189. Latinis; omnes hujus conspirationis con-
 ditiones referebantur, dona invicem
 missa minutatim enumerabantur.

Nicet ibid. Fridericus vero Imperator, se ab
 Isaacio deceptum intelligens, ejus ditio-
 nes vastare cœpit, & Philippopolim in-
 travit ab incolis desertam, nisi quod pauci
 Armeni remanserint, qui haud ita ut
 Græci Germanos averfabantur. Nicetas
 hujus urbis Præfectus in sua Historia dicit;
 Armenos & Germanos Communione
 Ecclesiastica jungi, & in plerisque opinio-
 nibus consentire. *Quippe Armeni, in-*
quit, & Germani, æqualiter adoratio-
nem sanctarum imaginum rejiciunt, gens
utraque panem non fermentatum in Sancto
Sacrificio adhibet, & quædam alia, tan-
quam legitima a Christianis orthodoxis
damnata, servat.

Sup. Lib.
LXXIII.
§. 60.

Quid Nicetas hic de cultu imaginum
 dicere velit, non perspicio, nisi forte
 Græcorum imagines a quibusdam Ger-
 manis militibus profanari viderit, quod
 Siculi, cum Theffalonicam caperent,
 fecerant. Fridericus, Philippopoli vi-
 gesima quinta Augusti in potestatem re-
 cepta, vigesima secunda Novembris
 Hadrianopolim, in ea urbe hyematurus,
 pervenit.

§. XXIII.

Sæcul. XII.
A.C. 1190.

§. XXIII.

Friderici fata. Henricus VI. Imperator.

Anno sequente, millesimo centesimo nonagesimo Fridericus Imperator, relicta Hadrianopoli, & Helleponto, seu freto Dardanellarum trajecto, in dittonem Soldani Iconiensis, illius gentis lingua *Cogni* qui *Kelige-Arslam* vocabatur, filii *Masbud*, ex genere Seljucidarum quarti, exercitum duxit. Porro etiam si hic Soldanus Imperatori fidem dedisset, tutum & salvum transiturum ejus exercitum, perfide tamen milites in angustiis montium faucibus collocavit, qui ex insidiis in subeuntes Germanos irruerent. Nihilominus Imperator Turcis bis depulsis, Soldanum Iconii, Regia ejusdem Sede, inclusit, urbemque superatis mœnibus decima octava Maji occupavit. Inde ad fines Armeniæ divertit Terram Sanctam petiturus. Verum, Cœlo aliter visum; nam die Dominica, decima Junii, cum eum intolerabilis æstus ad abluendum corpus in ignobili Ciliciæ seu Caramaniæ amne (*Farfavem* accolæ nominabant) invitasset, fluctibus obrutus interiit, postquam annis triginta septem imperasset

set

Sæcul. XII.
A.C. 1190.
vie Salad.
M. S.

set (*). Fridericus Dux Sueviæ, defuncti filius, secundo genitus, mili are quidem Imperium suscepit, sed elapsis exiode sex mensi-

(*) De morte Friderici Ænobarbi Palatii in *Aquila Sueva* ait: *Aliqui Seleuciæ, veneno, alii inopinata morte, nulla fluminis mentione, abreptum putant. Alii memorant, ab æstu diei & laboris eum arma posuisse & vestes, amnemque in superficie a sole tepidum, sed in imo frigidissimum, cum tetigisset Imperator, obriguisse subita mutatione membra, & quod Alexandro obtigisse ferunt, Fridericum, Cæsarem hætenus invictum, casu improvise & piæ militiæ acerbissimo, inter suorum manus pæne emortuum. Tum vero aquis extractum, respirasse paulum, dicentem: Benedictus Deus! qui me per aquam regeneravit: si me de mundo per aquam vocat, queri non possum. ... Sic in ipso victoriarum cursu Heros præstantissimus periit, humanæ fragilitatis relinquens exemplum. Annum agebat ætatis suæ sexagesimum nonum. ... Corpus ejus exenteratum, ob longitudinem itineris, sale diligenter confricatum: & gestatorio impositum, luctuoso ægmine Antiochiam delatum est, & in Basilica B. Petri in introitu Chori tumultatum.*

Et in fine varia affert Epitaphia, quale illud est, Nicolai Reusneri

Quem non mille acies possunt absumere ferro,

Armenius vitreo Ferreus amne rapit.

Tandem additur: *Investigabiles cum sint viæ Domini, nec sit, qui possit requirere, Quid fecisti?*

mensibus, videlicet vigesima Jan. 1191. in castris ad Acriam urbem positis emigravit. Henricus VI. Friderici Imperatoris filius natus maximus in Germania manserat, dudum Rex Romanorum salutat. Is eodem anno millesimo centesimo nonagesimo Joannem Cancellarium suum Archiepiscopum Trevirensis eligi curavit, atque ita Schisma, quod in illa Ecclesia annis septem tenuerat, composuit. Joannes Ecclesie Trevirensis annis viginti tribus praefuit (*).

Sæcul. XII.
A. C. 1190.
Chron. Rei.
chersp.
Mag. Chron.
Belg. p. 204.
Sup. Lib.
LXXIII.
S. 43.

§. XXIV.

Concilium Rotomagense.

Richardus Rex mense Decembri anno millesimo centesimo octogesimo nono ex Anglia solvit, Regni custodia & regimine Guilielmo de longo campo, Episcopo Eliensi, Cancellario suo, commisso, cui ut majorem conciliaret auctoritatem, a Clemente Papa potestatem Legati Sedis Apo-

Rog. p. 663.
p. 665.
Rad. Liv.
p. 655.

cisti? laudemus Dominum, nec Christum Domini Fridericum damnemus.

(*) Quod hic & alias frequentius Imperatores & Reges dicuntur Episcopatus contulisse, exinde tamen attentus Lector non inferet, Electionem Canonicam in illis Sæculis fuisse abrogatam & suppressam, sed denique auctoritatem Summorum Principum ita invaluisse, ut saepe illi, cui ipsi favebant, eligeretur.

Sæcul. XII. Apostolicæ in Anglia impetravit. Gual-
 A. C. 1190. terius vero Archiepiscopus Rotomagen-
post. Petr. sis, Richardum Regem in sacra pro-
Bles. p. 799. fectione comitaturus, antequam itineri
 se daret, Concilium Provinciale, in Ec-
 clesia sua Metropolitana, die undecima
 Februarii, anno millesimo centesimo
 nonagesimo celebravit, cum in Anglia
 adhuc numeraretur annus octogesimus
 nonus supra millesimum centesimum,
 quia anni exordium vigesima quinta
 Martii agebatur. Omnes Episcopi ejus
 Suffraganei cum multis Abbatibus ad-
 fuere, atque Canones triginta duo con-
 diti, plerique ex Conciliis antiquioribus,
 inprimis ex Concilio Generali Latera-
 nensi, sub Alexandro III. anno millesimo
 centesimo septuagesimo nono celebrato,
 petiti. Primo præcipitur, ut omnes Ec-
 clesiæ Rotomagensi Suffraganeæ in le-
 gendo & psallendo, id est, in Officio Di-
 vino, usum Ecclesiæ suæ Metropolitanæ
 imitentur. Eucharistia non nisi in vase
 aureo vel argenteo, & nunquam in stan-
 neo consecretur. Placuit etiam, ne corpus
 Dominicum sine lumine, cruce & aqua
 benedicta, nec sine Sacerdotis præsentia,
 nisi extrema necessitas excuset, defera-
 tur. Ergo aliquo casu existente id ta-
 men licebat. Clerici, qui ut examen
 proprii Episcopi declinent, ab Episcopis
 extra suam provinciam, vel a transmari-
 nis,

Sup. Lib.
LXXIII.
§. 20.

c. 2.

c. 3.

c. 7.

nis, Ordinem consequuntur, ab Episcopis suis ad administrationem Ordinis nulla ratione recipiantur. Archidiaconi per Archidiaconatum suum incedentes, jure procurationis a subditis non nisi modicam pecuniam exigant. Societas seu fœdera Clericorum Laicorumve, quibus se se ad præstandum sibi mutuam auxilium in quibuslibet causis juramento adstringunt, prohibentur. Solemni ritu in omnibus Ecclesiis illi, præter alios reos, excommunicentur, qui falsum juramentum edendo Ecclesiam jure suo privant, aut redditus Archiepiscopales fraudulenter usurpant. Dantur etiam adjuncta, quibus existentibus, rei ad impetrandam absolutionem Romam mittendi sunt (*).

Sæcul. XII.
A.C. 1190.

c. 12.

c. 25.

c. 26.

c. 31. 32.

§. XXV.

Profectio Regum Franciæ & Angliæ.

Richardus Rex in Normannia aliquamdiu

(*) Verba Concilii in Actis ex Edit. Harduini, ad hunc annum leguntur in hunc modum: *Hujus autem Constitutionis reos nullus Sacerdotum absolvere, vel eis poenitentiam dare præsumat, nisi fuerint in articulo mortis constituti: Sed hujusmodi perjuri & excommunicati ad proprios Episcopos remittantur absolvendi, & de tanto excessu graviter puniendi, & ad eorum majorem confusionem ad Sedem Apostolicam transmittantur.*

Hist. Ecclesiast. Tom. XVIII.

R

Sæcul. XII. diu commoratus, Turonem venit,
 A.C. 1190. ubi Sacrorum peregrinantium peram &
 p. 666. scipionem de manu Guilielmi Archiepi-
 Jo. Brompt. scopi accepit. Sed cum Rex scipione niti
 p. 1173. cœpit, confractus est, aliumque recepit
 Veselii, ubi corpus beatæ Mariæ Magda-
 lenæ servari credebatur. In eo loco, ut
 Rigord. condixerant, Reges Franciæ & Angliæ
 p. 29. præsto fuerunt. Philippus Rex disces-
 furus curam Regni Adelæ Reginæ matri,
 & propinquo suo Guilielmo Archiepi-
 scopo Remensi, Sacræ Sedis Legato, in-
 junxit, edita Constitutione, qua in regi-
 mine Franciæ se absente uterentur; in
 pag. 30. ea inter alia capita istud legitur: *Si Epi-
 scopatus aut Abbatia ad jus Regale perti-
 nens vacaverit, volumus, ut Canonici
 vel Monachi Reginam & Archiepiscopum
 adeant, sicut ad nos venire tenerentur,
 & petant Electionem liberam, quæ ipsis
 non gravate concedatur. Porro Regina
 & Archiepiscopus bona, juribus Regali-
 bus subjecta, in sua potestate teneant, us-
 que dum electus vel consecratus vel bene-
 dictus fuerit, tumque ei reddantur. Si
 aliqua Præbenda aliudve Beneficium va-
 caverit, illo tempore, quo jus Regale nobis
 competit, Regina & Archiepiscopus ea
 viris piis & literatis, requisito Fratris
 Bernardi consilio, conferant. Id de Ere-
 micola in Silva Vincennarum degente
 accipiendum puto, estque primum hic
 vesti-*

Sup. Lib.
 LXIII.
 §. 41.

vestigium, quod occurrit, Beneficia ex Jure Regali fuisse collata. Postea commemoratur in hoc Edicto, ex bonis Ecclesiarum, pro casu emergente, pecuniæ subsidia fuisse Regi concessa.

Sæcul. XII.
A. C. 1190.

In Festo S. Joannis Rex Philippus multis comitantibus ad Monasterium S. Dionysii venit, Vexillum, quod vulgo Auriflamma dicebatur, more Majorum suorum ad bellum procedentium, accepturus. Vetus enim opinio erat omnium animis indita, solum hujus signi conspectum hostium agmina sæpe in fugam vertisse. Rex in pavimento ante SS. Martyrum corpora prostratus iter suum Deo, S. Virgini & omnibus Sanctis commendavit. Tum peractis inter calentes lacrymas precibus surgens peram & baculum, quem ipsi Archiepiscopus Remensis tradidit, recepit. Cum deinde duo vexilla super corpora SS. Martyrum posita sumfisset, monachorum orationes expetiisset, & Benedictionem, quam Sacerdos, clavo, corona spinea, & brachio S. Simeonis elatis impertiebatur, accepisset, die Mercurii, post octavam S. Joannis, die decima quarta Julii, anno millesimo centesimo nonagesimo cum Richardo Rege Angliæ Veselium se contulit. Illa tem-
Felib hist.
S. Den.
 pestate San- Dionysiani coronam spineam Domini nostri, quæ a Carolo Calvo monachis dono data dicebatur, ut in

R 2

hujus

Sæcul. XII. hujus Principis epitaphio legitur, se
 A.C. 1190. possidere credebant.

Rog. p. 668.

Reges, cum Lugdunum pervenis-
 sent, in diversa sparsi, Philippus Genuæ,
 & Richardus Massiliæ naves conscen-
 dunt, ac deinde Messanæ iterum jun-
 guntur. Richardus Rex Italiae oras præter-
 vectus ad ostia Tiberis venerat, ubi
 Octaviano Cardinali Episcopo Ostiensi,
 obvium se inferenti, Romanorum Si-
 moniam acriter exprobravit, conquestus,
 quod accepissent argenti marcas septin-
 gentas pro Ordinatione Episcopi Ceno-
 manensis, mille quingentas pro Lega-
 tione Episcopi Eliensis, & magnam pe-
 cuniæ copiam, ut efficerent, ne Elias
 Malemortius Episcopus Burdegalensis a
 Clericis suis accusatus deponeretur.
 Octava Septembris Rex Richardus Saler-
 num appulsus, diu ibi moras traxit, ex-
 pectans, usque dum classis Messanæ por-
 tum attingeret; quo tandem Rex Phi-
 lippus die Dominica, decima sexta Se-
 ptembris, & Richardus vigesima tertia
 invecti, hyemem peregerunt. Richar-
 dus vero cum Rege Siciliae, nuper rerum
 potito, foedera iniit.

p. 673.

§. XXVI.

*Guilielmi obitus. Tancredus Rex Si-
 ciliae.*

Guilielmus Bonus mense Novembri,
 anno

anno superiore millesimo centesimo octo-
 gesimo nono, fatis functus erat, annos
 natus triginta sex, postquam viginti
 quinque regnasset. Cumque improlis
 obiisset, Regnum haud dubie Constan-
 tiam, mortui Regis Amitam, Regem-
 que Romanorum Henricum VI. qui eam,
 adjecta hac conditione, Tori consortem
 acceperat, spectabat, idque omnes Si-
 ciliæ Comites jurejurando promiserant.
 Sed hæ nuptiæ auctore Gualterio Archi-
 episcopo Panormitano conciliatæ fue-
 rant, Matthæo Regni Cancellario re-
 pugnante, quorum virorum in Insula
 æqualis prope erat potestas. Matthæi
 igitur, Guilielmo defuncto, tantum
 valuit auctoritas, ut ipso jubente Tan-
 credus, Comes Lichiensis, Rogerii primi
 Siciliæ Regis, Guilielmi *Boni avi*, filius,
 ex amica genitus, Rex proclamaretur.
 Ita Tancredus Panormum accitus, a Can-
 cellario, consentiente Curia Romana,
 coronatur. Inde cum Tancredo Richar-
 dus Rex de usufructu dotis Johannæ, so-
 roris suæ, ultimi Regis defuncti viduæ,
 aliisque dissidiis transegit, & pacta a
 Clemente Pontifice confirmari petiit.
 In illa commoratione Messanæ Rex Ri-
 chardus, omnibus Episcopis, itineris
 sociis, in quoddam Oratorium convo-
 catis, ad eorum pedes prostratus, in-
 dufio tectus, enormem antea actæ vitæ

Sæcul. XII.
 A.C. 1190.

*Chr. Ric.
 de S. Germ.
 to. 3. Ital.
 Sac. p. 955.*

Rog. p. 676.

p. 681.

R 3 licen-

Sæcul. XII. licentiam & flagitia confessus est, con-
 A.C. 1190. triti cordis signa edens. Tum injunctam
 sibi ab Episcopis pœnitentiam suscepit.

§. XXVII.

Joachimus, Abbas in Calabria.

Cum ambo Reges in Sicilia versarentur,
 ad aures Richardi pervenit fama

Rog. ibid. Joachimi Abbatis Curacii in Calabria,
 Ordinis Cisterciensis, opinione virtutis
 & scientiæ clarissimi; quin etiam Pro-
 phetiæ dono præditus credebatur. Ri-
 chardus, cum eum Messanam advocasset,
 viri sermonibus delectabatur, inprimis

Apoc. 12. in explicatione Apocalypsis. Abbas
 Joachimus dicebat; Mulierem amictam
 sole esse Ecclesiam, Draconem eam in-
 vadentem esse Diabolum, & septem
 Capita septem præcipuos Persecutores,
 Herodem, Neronem, Constantium, *Ma-
 bomet, Melfemut, Saladinum, & Anti-
 christum.* Quis hic *Melfemut* fuerit ne-
 scimus. Priores autem quinque, si Joachi-
 mo fidem habemus, erant illi, quos

Apoc. 17. 10. S. Joannes cecidisse affirmat, Saladinus
 ille, quem Evangelista dicit adhuc esse,
 & Antichristum, quem dicit, nondum
 venisse. Adjiciebat, Saladinum brevi
 Hierosolymam & Terram Sanctam amis-
 surum. Atque Richardo Regi interro-
 ganti, quando id futurum esset, Joachi-
 mus Abbas respondit; postquam septem
 anni

anni consumti essent, ex quo Saladinus Hierosolymam cepisset. *Cur ergo ante tempus proficiscimur?* reposuit Rex, cui Abbas: *expeditio vestra est perquam necessaria. Dabit vobis Deus victoriam de inimicis suis, nomenque vestrum inter cunctos orbis terrarum Principes celebratissimum efficiet.* Subjecit, Antichristum jam natum esse Romæ, ac fore, ut in Sacram Sedem eveheretur. Pluribusque modis hanc Apocalypsis partem explicavit. At Gualterius Archiepiscopus Rotomagensis, Gerardus Ausciensis, aliique Præfules & Viri Ecclesiastici doctrinæ laude eximii, refragabantur loquenti, quæ de Antichristo affirmabat, negabant, & contrarium demonstrare omnibus viribus nitebantur. Ita colloquium istud refert Rogerius d' Hoveden in commentario de itinere Richardi, qui, ut alias videtur, accurate scripsit. Fatendum, nihil simile in Commentario in Apocalypsin, ab Abbate Joachimo edito, vel in aliis ejus Scriptis occurrere; sed forte hos libros postea composuit, erroresque emendavit, cum vidit, rerum eventus vaticiniis suis minime respondere.

Joachimus, Celicæ prope Cosentiam in Calabria natus, juvenilibus annis professionem Hierosolymam suscepit, vestitu monachum referens. In reditu, cum in Syria esset, ad domum cujusdam vi-

Sæcul. XII.
A.C. 1190.

V. Boll.
to. 18. p. 137.

vit. ap. Boll.
c. 1. to. 18.
p. 95.

Sæcul. XII.
A.C. 1190.

duæ divertit, quæ hospiti pudorem eripere animo constituit. Sed ipse suspicans castitati suæ insidias strui, relicto lectulo, quem dormituro mulier libidinosa paraverat, postquam tota illa nocte in oratione perseverasset, ubi illuxit, aufergit, quoad vixit puritatis amantissimus. In Calabriam reversus, & monasterium Sambucinense Ordinis Cisterciensis ingressus, non ibi tamen vota Religiosa, sed deinde in Monasterio Curaciensi ejusdem Ordinis, edidit. In eo Abbas electus, postquam sese occultare frustra conatus esset, Archiepiscopo Cosentiensi, Abbate Sambucinensi, virisque aliis, in illa regione spectatissimis, instantibus Abbatiale onus recepit. Quia vero Sacras Scripturas scrutandi & explicandi studio captus erat, ad Lucium III. Papam profectus, Pontificatus ejus anno secundo, Salutis humanæ millesimo centesimo octogesimo secundo, licentiam obtinuit, eas exponendi, eidemque haud diu post Opus suum de Concordia Veteris & Novi Testamenti obtulit. Tunc etiam Commentarium in Apocalypsim scribere coepit, atque hos labores auctoritate Papæ munitus prosecutus est. Tandem Clemens Joachimum hortatus est, ut Scripta sua perficeret, & sibi deinde afferret, examen Sacræ Sedis subitura. Hæc ex epistola Papæ die decima octava Junii,

Junii, anno Pontificatus sui primo, Christi millesimo centesimo octogesimo octavo data dispicimus. Quin etiam Clemens Papa Joachimum a cura Abbatiae Curaciensis liberavit, facta potestate, quocunque vellet se recipiendi, ut liberius librorum scriptioni vacaret.

Sæcul. XII.
A.C. 1190.

Tunc ergo Joachimus Abbas cum Rainerio discipulo suo ad montes Calabriae prope Cofentiam in quemdam locum, quem accolæ *Floram* dicebant, secessit, ubi primo Oratorium sibi condidit & cellulam; postea vero crescente Discipulorum ad eum confluentium numero, anno circiter millesimo centesimo octogesimo nono novum extruxit Monasterium, in quo Regulæ rigor major fuit quam in Ordine Cisterciensi, & unde Congregatio separata ortum traxit. Hoc Monasterium in suis exordiis Rex Guilielmus Bonus tutatus est; postea autem Joachimo Abbati Tancredus molestus extitit, cujus Præfecti affirmabant, locum in ditione Regis esse. Quare Tancredus ei Monasterium Matinense prope urbem Episcopalem S. Marci obtulit; sed illud Joachimus recipere noluit, quod diceret, æquitati haud fore consentaneum, si ipsi supervenientes alieno labore fruerentur. Jussitque Rex ne

c. 6. *Boll.*
p. 125.

Joachimus
Abbas.

R 5

Joachi-

Sæcul. XII. Joachimi monasterium amplius turba-
A.C. 1190. retur.

Ital. Sacr.
to. 9. p. 279.
Et Boll. to.
18. p. 93.

Ceterum Lucas, postea Archiepiscopus Cosentinus, cui Abbas Joachimus pæne familiaris fuerat, de eo elogium literis prodidit in hunc modum: Anno secundo Lucii Papæ, nempe anno Christi millesimo centesimo octogesimo tertio, antea nunquam conspectum vidi Casamajore virum nomine Joachimum, tunc Abbatem de Curacio. Illo tempore monachus erat Domus Sambucinensis, quæ Casamajore filia est, omnibus carus & maximi æstimatus, sapientiæ & dono intelligentiæ a Deo acceptæ insignis. Tunc Papa ejusque Consistorio cognitionem Scripturarum & scientiam suam de concordia utriusque Testamenti aperuit, ac impetrata licentia scribere cepit. Mirabar vero, virum tanti nominis, & tanta dicendi vi præditum, veste veteri detrita & in extremis partibus adusta incedere; atque amici ejus familiarissimi affirmarunt, nunquam, quoad viveret, de cultu corporis fuisse sollicitum. Casamajore uno anno & dimidio versatus, dictans simulque emendans Librum de Apocalypsi & concordia, simul etiam opus, Psalterium decem chordarum, componere cepit.

Abbas me ipsi notarium & amanuensem dedit. Scribebam diu noctuque in volumi-

voluminibus membranaceis, cum duobus
 aliis monachis, ejus scribis, quæ ipse ex
 chartis deletitiis dictabat. Missam cele-
 branti Joachimo ego serviebam, admi-
 rans omnes ejus gestus; nam Hostiæ be-
 nedicens dextram altius, quam alii Sa-
 cerdotes solebant, elevabat, & majore
 fervore cæteros omnes ritus peragebat.
 In illa actione vultus viri, natura palli-
 dus, totus mutabatur & speciem Angeli-
 cam referebat. In Octava Paschæ &
 Pentecostes cunctis diebus sacris operaba-
 tur. Decorem Altaris diligebat. Tunc
 quoque ejus facies rubicundo colore nite-
 bat, cum ad nos in Capitulo, ex manda-
 to Abbatis, peroraret. Demissa voce
 exordiebatur, quam sensim efferebat, fer-
 vido & excitato spiritu prosequeretur,
 ac ita audientium animos afficiebat, ut
 nunquam longior fuisse ejus sermo videretur.
 Totas noctes orando & scribendo
 consumebat, nec tamen ab officio commu-
 ni Fratrum aberat, nec in Psalmodia so-
 mno succumbebat. Quantum cibi, vel
 qualis apponeretur, nunquam curabat,
 castitatis præterea amator singularis,
 quod complures Episcopi & Monachi te-
 statum faciunt. Vidi eum nonnunquam
 flexis genibus & levatis in cælum oculis
 Jesu Christo tanquam de facie ad fa-
 ciem præsentem colloquentem. Quadrage-
 simam apud ipsum aliquando transegi, in
 qua,

Sæcul. XII.

A.C. 1190.

Sæcul. XII.
A. C. 1190.

qua, exceptis Dominicis & Festis, nulla esca nisi frustillo panis & modica aqua singulis diebus reficiebatur. Quanto rigidius autem abstinencebat, eo robustior & bilavior videbatur.

Cum esset Curacii Abbas, sæpe suis ipse manibus domum infirmorum purgabat, lectos sternebat, culinam lustrabat, & omnia ægrotantibus necessaria suppeditabat. Iter faciens sæpe de equo descebat, jubens famulum suum conscendere, ut labore fessus recrearetur. Summa hyeme pauperibus nudis detractas sibi ipsi vestes donabat. In omnes hospites liberalissimus, solis suis propinquis & consanguineis durus, iis nullum unquam beneficium præstabat. Labore manuum delectabatur, tunc inprimis, quando tota Congregatio operibus sibi injunctis vacabat, & partem ad se spectantem incredibili robore perficiebat, nam vires corporis validissimas a natura acceperat, frigoris, caloris, sitis & famis patientissimus. Hoc testimonium de Joachimo Abbate Archiepiscopus Cosentiaë literis prodidit.

§. XXVIII.

Mors Clementis III. Cœlestinus III.
Papa.

Inter hæc Rex Germaniæ Henricus VI. Italiam petiit, coronam Imperii accepturus,

pturus, & Reginae Constantiae conjugis
 suae jura in Regnum Siciliae vindicatu-
 rus. Cum urbi immineret, obiit Cle-
 mens III. vigesima octava die Martii an-
 no millesimo centesimo nonagesimo pri-
 mo, postquam Cathedram Petri tenuis-
 set annos tres & menses duos. Elapso
 biduo, defuncto subrogatur Cardinalis
 Hiacyntus, Diaconus Tituli S. Mariae in
 Cosmedin, dictus Coelestinus III. Is
 annos sexaginta quinque in Ordine Dia-
 conorum steterat, unde sequitur, eum
 annos aetatis suae haud multo pauciores
 quam octoginta quinque numerasse, cum
 ad coronam Papalem recipiendam vo-
 caretur. Electus est vero in Sabbato
 ante Dominicam Passionis, die trigesima
 Martii, sed ejus Ordinatio diebus quin-
 decim dilata. Dubium non est, in hac
 Electione Ritus a Cencio Cubiculario,
 in Ordine Romano, quem tunc tempo-
 ris concinnabat, commemoratos, fuisse
 servatos. Ab iis autem, quorum in
 electione Paschalis II. anno millesimo
 nonagesimo nono memini, non nihil dif-
 ferunt.

Refert Cencius, Papam electum illi-
 co a Cardinalium Diaconorum digniore
 Cappa rubra indui, eique nomen impo-
 ni. Electus ante Altare prosternitur,
 omnibus *Te Deum Laudamus* decantan-
 tibus. Tum Cardinales Episcopi eum
 ad

Saecul. XII.
 A.C. 1191.

Arnold. Lub.
4.c.4. Chro.
Richar. de
S. Germ.
Chro. Rei-
cher sp. an.
 1191.

Petr. Bles.
ep. 123. sub.
fin.

Sup. Lib.
LXV. §. 1.

Mabill.
Mus. Ital. to.
 2.p.210.

Sæcul. XII. ad Cathedram suam, post Altare positam, A.C. 1197. deducunt, quibus ipse ad se accedentibus osculum pacis præbet. Unde postea ad sedem lapideam, ante magnificam portam Basilicæ S. Salvatoris in Laterano stantem, procedit. Hæc sedes jam tunc *Stercoraria* dicebatur, quia in centro perforata est, sed arctum est foramen, atque antiquarum rerum periti arbitrantur, eam aliquando in quibusdam thermis collocatam, ideoque decurrenti aquæ viam fuisse apertam. Ibi Pontifex primo munificum se futurum probabat, nummos, quot manu capere poterat, aliquoties in populum effundens. Ad Basilicam deinde S. Silvestri deductus in Sede Porphyretica collocabatur, Ferula Regiminis Insigne manui sedentis inferebatur, atque claves Basilicæ & Palatii Lateranensis tradebantur. Tum in alia simili sede iterum acquiescens, induebatur cingulo rubro holoserico, ex quo pendeat marsupium, sigilla duodecim, ex unionibus confecta, & moschum continens. Quæ Cencius in hunc sensum explicat: Cingulum continentiam, marsupium largitionem elemosynæ, gemmæ seu lapides pretiosi duodecim Apostolos, & moschus bonum Jesu Christi odorem significant.

2. Cor. 2. 15.

§. XXIX.

§. XXIX.

Sæcul. XII.
A.C. 1191.

Henricus VI. Imperator coronatur.

Cum Rex Henricus cum exercitu advenisset, securus, & ratus, non ausuros Romanos ei coronam Imperii dene-
gare, Cœlestinus Papa Ordinationem suam procrastinabat, ut sic etiam coronationem Henrici differret. Sed Romanus, postquam in conspectum Regis ad-
mitti petiissent, *amicus noster sis, ajunt, move Majorum tuorum nobiscum age, & injurias nobis a præfidiariis arcium tuarum Tusculanensium illatas ulciscere, ab iis enim in hanc usque diem lacessimur. His conditionibus, impetrabimus, ut Papa te coronet.* Ubi Rex ea, quæ petebant Legati, servaturum se promisit, ad Papam reversi, ajunt: *Præ oculis tibi est, quod Rex iste agros nostros cum exercitu occupet, quod messes, vineas, olivas pessumdet. Rogamus te igitur: ne ejus consecrationem ulterius differas; cum dicat, nullo alio consilio se venisse, quam ut urbem bonoret, & Paternitati tuæ obediat.* Itaque dedit id Romanorum precibus
Papa, atque ipse Sabbato, in vigilia Pa-
schæ, Presbyter ordinatus, & die Do-
minica, decima quarta Aprilis, Episcopus

Arnold. 4. c. 4.

Rog. Hoved.

p. 689.

Sæcul. XII.
A. C. 1191.

pus ab Octaviano Episcopo Ostiensi consecratus, altera die Lunæ Henricum VI. & Constantiam conjugem ipsius, Corona Imperii Romani decoravit. In Juramenti formula Cœlestinus Papa, priusquam Henricum coronaret, ab eo exegit, ut Tusculanum sibi redderet. Tum in solio Pontificali sedens, coronam Cæsaream in inferiore gradu inter crura sua positam pede impulsam in terram dejecit, ut ostenderet, jus sibi esse & potestatem Imperatorem nocentem deponendi. Verum Cardinales levatam quantocius coronam Imperatoris vertici imposuerunt. Hæc ex Rogerio accepimus, Scriptore Anglo, ritum istum referente, qui in nulla alterius Imperatoris coronatione occurrit (*).

Altera

(*) Ad istum locum, Natalis Alexandri hoc est judicium: *Pontificem coronam Imperialem pede percussisse ac dejecisse, ut significaret, se potestatem habere exuendi ipsum Imperio, si potestate sua contra Ecclesiam abuteretur, tradit Rogerius de Hoveden in Annalibus Angli-
vanis. At narratio ista, quam Baronius Cardinalis approbat, apud me laborat suspitione falsitatis propter aliorum Historicorum & maxime Arnoldi Lubecensis Abbatis & Gotfridi Viterbiensis silentium. Nec verisimile est, Pontificem plusquam octogenarium, mansuetissimum, prudentissimum ac modestissimum Christiano Imperatori*

Altera die, nempe Feria III. Paschæ, Sæcul. XII. A.C. 1191. Imperator, ut promiserat, urbem Tusculanum Pontificis potestati permisit, qui eandem civitatem die Mercurii, ut Transactionem Clementis III. Antecessoris sui impleret, Romanis tradidit. Hi urbem istam tanto furore demoliti sunt, ut nec lapis super lapidem remanserit. Nec fuit, qui eam in hanc usque diem restauraret. Incolæ in loca propinqua sparsi, non nulli pergulas in alterius suburbii ruinis construxerunt, unde postea oppi-

Id. p. 690.

Rad. Dic.

p. 659.

peratori in Sacro inaugurationis Ritu, palam insultare voluisse.

Judicium Natalis Alexandri ex eo confirmatur, quod idem Rogerius Hovedenus scripserit, Joachimum Abbatem prædixisse, Antichristum Romæ jam natum, etiam Sedem Apostolicam esse contemnendum, etsi nugæ istæ in Joachimi scriptis non inveniuntur. Sup. Fleur. §. XXVII.

Porro Natalis Alexander in Cælestino III. Sæc. XII. adjecit: *Constantiam illam Rogerii Siciliae Regis filiam, in Monasterio Panormitano Monialem fuisse votis obstrictam, atque a Cælestino, ut Henrico V.* Imperatori nubere, a votis absolutam, recentiores non nulli commenti sunt. Quod doctissimus Cardinalis Baronius luculenter ex Auditorum silentio probat, pluribusque aliis argumentis.*

**Henrico VI.*

Hist. Eccles. Tom. XVIII.

S

Sæcul. XII. oppidum *Frescati*, ubi hodie Episcopus
A.C. 1191. residet, nomen accepit. Imperator ve-
 ro in Apuliam movens, repugnante li-
 cet Pontifice, qui Tancredo Regi fave-
 bat, complures urbes cepit, interque a-
 lias Salernum, ceterarum caput, ubi
 Constantiam Imperatricem reliquit. Ve-
 rum exercitu grassantibus morbis labe-
 factato, ineunte mense Novembri absi-
 stere coactus est. Inter illos, qui in ista
 expeditione occubuerunt, Imperatoris
 Cancellarius, & Philippus Archiepiscopus
 Coloniensis recensentur. Mox Tan-
 credus amissas urbes recuperavit, eique
 Constantia captiva tradita, quam in Si-
 ciliam misit.

Ric.
S. Germ.
an. 1191.
Chro. Rei-
cher sp.

§. XXX.

Acria a Crucigeris expugnatur.

Rex Franciæ, cum Messana solvisset
 sub finem mensis Martii, in vigilia
 Dominicæ in Albis, vigesima Aprilis an-
 no millesimo centesimo nonagesimo pri-
 mo ad oram Acriæ in Palæstina delatus
 est, quam urbem Crucigeri jam annis
 duobus obsidebant. Namque expugna-
 ta a Saladino Hierosolyma Rex Guido
 Lusignanus, nullius urbis, in qua tuto
 degere posset, Dominus, Tyrum se se re-
 cipere constituerat; sed Conradus Mar-
 chio Montisferrati, qui in ea urbe rerum
 potiebatur, intrandi copiam non fecit,
 mili-

Rog. p. 692.

Rigord. p. 32

Jacob. de
Vitria Hist.
Hierosol.
c. 98. p. 1120.

milites vero dedit, quibus Rex ad ali-
 quid contra hostes audendum uteretur. Sæcul. XII.
A.C. 1191.
 Itaque Guido Lusignanus, desperatione
 animum occupante, ne saltem otiosus
 perire videretur, anno millesimo cente-
 simo octogesimo nono obsidionem Acriæ
 molitus est. Idque usque adeo temere
 cœptum credidit Saladinus, ut ne qui-
 dem ad ferendum obsessis auxilium fe-
 stinaret. Interim tamen varii Crucige-
 ri subsidia Guidoni attulerunt; quippe
 advenit Flandrensium & Brabantinorum
 classis, cumque etiam Rex Franciæ ap-
 pulisset, tantæ fuerunt Christianorum
 vires, ut Philippus Rex admotis machi-
 nis mœnia expugnare potuisset, nisi pro-
 missio suo religiose stare, & Regem An-
 gliæ præstolari voluisset. Ille ex portu
 Messanæ non prius quam Feria IV. in
 Majore Hebdomada, die decima Apri-
 lis, vela fecit, atque tempestate turbida
 ad oram Cypri dejectus, Insulam ex pot-
 estate Isaaci Comneni, qui Imperatori
 Isaacio Angelo arma rebellis intulerat,
 ereptam sibi subjecit. Rog. p. 690.

Postquam igitur Richardus quoque
 in portum Acriensem invecus est, ob-
 sessi spe omni abjecta, Regibus se permi-
 serunt, positis conditionibus, anno mil-
 lesimo centesimo nonagesimo primo, ea-
 que urbs exinde potentissima, inter illas,
 quas Latini in Palæstina tenebant, extitit. Id. p. 696.

Sæcul. XII.

A.C. 1191.

*Rigord p. 34**Vie Salad.**M. S.**Rog. p. 696.**J. Brompt.**p. 1206.*

Præcipua stipulatæ deditiois capita
 fuere: Emiri nomine Saladini, Domini
 sui, promitterent, veram Crucem in pu-
 gna ad Tiberiadem captam reddere, ac
 mille Christianos captivos ducentosque
 Equites, ex illorum numero, quos in suis
 ditionibus tenebat, libertate donare.
 Recepta urbe, Christiani Ecclesias, in
 fana Mahometanorum mutatas, a captivis
 Infidelibus purgari jusserunt, easque de-
 cima sexta Julii Alardus Episcopus Ve-
 ronensis, Cardinalis & Sacræ Sedis Le-
 gatus, Archiepiscopis Tyriensi, Pisano,
 & Ausciensi, atque Episcopis Saresbe-
 riensi, Ebroicensi, Bajonensi, Tripolitano,
 Carnotensi, & Belvacensi assistentibus,
 reconciliavit. Jusserant Reges, omnes
 Musulmannos, qui Baptismatis fonte se
 ablui paterentur, libertati restitui. Ubi
 autem constitit, perfidos mortis metu
 Baptismum petere, ac recuperata liber-
 tate Religionem Christi abjicientes ad
 Saladinum redire, quemquam captivo-
 rum amplius baptizari vetuerunt. His
 gestis, credidit, satis se fecisse Rex Fran-
 ciæ, ægrotans, & prætera offensus a Re-
 ge Angliæ, quocum ei jam ante Messanæ
 jurgia nata erant. Ergo ultima die
 mensis Julii navigio se committit, impe-
 rium in Francos Crucigeros relinquens
 Hugoni III. Duci Burgundiæ, qui anno
 sequenti millesimo centesimo nonagesi-
 mo

simo secundo Tyri fatis functus est. Phi-
 lippus Rex Hydruntem advectus die Jo-
 vis, decima Octobris anno millesimo
 centesimo nonagesimo primo, inde Ro-
 mam petiit, ubi a Cœlestino Papa ho-
 norifice exceptus, & octiduo ejusdem
 sumtibus sustentatus est. Graves que-
 relas contra Regem Angliæ exposuit,
 petiitque, se suosque absolvi a voto, cu-
 jus totum tempus non impleverat.

Papa singulis palmas & cruces, quas de
 collo pendentes gestarent, dedit, ac pio-
 rum peregrinorum nomine dignos pu-
 blice edixit. Philippus Franciam atti-
 git imminente Natali Domini, quod Fe-
 stum Fontisbellaquei celebravit.

§. XXXI.

Equites Teutonici.

Dum Acria urbs obsidebatur, quidam
 Germani Bremenses & Lubecenses,
 tacti commiseratione ægrotantium mi-
 litum Christianorum, quibus omnia ne-
 cessaria deerant, tabernaculum, Noso-
 comii loco, ex velo navali construxerunt,
 sub quo magna charitate morbosos fo-
 vebant. Jam prius autem Hierosolymæ
 Hospitium Gentis Germanicæ fuerat.
 Nam ex quo Christiani Latini urbem in-
 colere cœperunt, Germani illo adve-
 nientes, linguæ, quæ ibi vulgaris erat,
 nempe Francorum, ignari, nesciebant, ad

Sæcul. XII.

A. C. 1191.

Rog. p. 697.

p. 712.

Rig. p. 35.

Chro. Pruff.

c. I.

Jac. Vitr.

hist. Hieros.

c. 66.

Sæcul. XII. quos se verterent. Quare Germanus
A. C. 1191. aliquis virtutis amans, ibi cum uxore sua
 jus civitatis consecutus, Deo inspirante, suis sumtibus ædificavit Xenodochium ad suscipiendos suæ Gentis ægrotos. Tum consentiente Patriarcha, Orationarium Sanctæ Virginis honori sacrum adjunxit, & postquam diu piissimum opus partim ex suis facultatibus partim ex pecuniis, quas amore proximi a Christianis emendicabat, profecutus fuisset, quidam alii, ipsius exemplo excitati, se se huic Hospitio addixerunt, qui abjecta sæculari veste, edito voto ad serviendum pauperibus se obstrinxerunt.

Exinde juncti sunt iis Equites & Nobiles, qui majus obsequium se Deo præstituros existimarunt, si ad tutelam Terræ sanctæ etiam armis uterentur.

Nata igitur novæ pietatis occasione, dum Christiani Acriam obsident, hospitio in castris tumultuarie erecto, statutum est, tertium Ordinem Militarem, accepto a Templariis & Hospitalariis S. Joannis exemplo, fundare, consilium Patriarcha, Archiepiscopis Nazareno, Tyriensi, Cæsariensi, Episcopis Bethlemitico & Acriensi, Magistris Templi & Hospitii S. Joannis, Henrico Rege Hierosolymæ, ceterisque illius Regionis Principibus, approbantibus. Cumque id etiam Præsulibus & Principibus Germano-

manorum in Palæstina tunc præsentibus Sæcul. XII.
 placeret, communi omnium consensu A.C. 1191.
 Fridericus Dux Sueviæ Germanorum
 Dux, missis ad Henricum Regem Roma-
 norum fratrem suum Legatis, rogavit,
 ut recentis Ordinis confirmationem a
 Papa impetraret. Quam Cœlestinus *Auct. Aquil-*
 Papa III. Bulla vigesima tertia die Fe. *cincl. an. 1189*
 bruarii anno millesimo centesimo nona-
 gesimo secundo data, concessit. Cete-
 rum novum Institutum dictum est Or-
 do Equitum Teutonicorum de Domo
 S. Mariæ Hierosolymæ, eratque vestitus
 singularis pallium album cui Crux nigri
 coloris affuta. Iisdem Papa omnia pri-
 vilegia Templariorum & Hospitalario-
 rum S. Joannis, quorum vitæ rationem
 imitabantur, contulit; sed Episcopis, &
 Patriarchæ subjecti cunctorum bono-
 rum suorum Decimas dabant. Primus
 Ordinis Magister fuit Henricus *Walpot, Jac. Vit.*
 tenente Acriæ obsidione electus, qui,
 urbe in Christianorum potestatem reda-
 cta, hortum emit, ac Ecclesiam & Ho-
 spitium ædificavit. Is postquam Ordi-
 nem rexisset annis decem, anno Christi
 millesimo ducentesimo mortalitatem
 exiit.

§. XXXII.

Ecclesia Alexandrina.

Patriarchæ Jacobitæ Alexandrino Mar-
 S 4 co,

Sæcul. XII.
A. C. 1191.

Chr. Orient.
hist. Patr.
Alex. Soller.
V. MS. Sa-
lad. an. 1192

co, filio Zaræ, prima die Januarii anno millesimo centesimo octogesimo nono, postquam illam Sedem annis prope viginti tribus occupasset, ex hac vita erepto, Monachi, Episcopi, populusque congregati suffecerunt, *Abul Meged*, Monachum S. Macarii, in valle *Habib*, filium divitis mercatoris Syri, qui paucis abhinc diebus decedens pinguem hæreditatem filio reliquerat. Ipse *Abul Meged*, mercaturæ studens, sæpius iter in Indias susceperat. Ordinatus est vero Caira, die Dominica, vigesima nona Januarii, & Joannes dici voluit, accepta prius a Soldano licentia, quæ juxta illius Ecclesiæ Canones est conditio necessaria. Joannes opes suas in eleemosynas aliæque pia opera impendit, longe alia via ac Antecessor ipsius incedens, orationi, lectioni, prædicationi, ceterisque omnibus Episcopi officiis vacans. Ad mensam, aliorum sumtibus paratam, nunquam accedebat, munera accipiebat nulla. At Coptorum ritibus addictus, Synodo suæ præsidens excommunicationis sententiam contra Marcum Presbyterum, *Elcombar* filium, confirmavit, Confessionem abolevit, suis Circumcisionem admittere suavit, & illos, qui ad Communionem Melchitarum transierant, ad suam reducere omnibus viribus adlaboravit.

Ad

Ad hunc Patriarcham Abas Rex Æthiopiæ materque ejus *Mascal Cabri*, datis literis contra Cilum Patriarcham suum conquesti sunt, quod pessimis esset moribus, quod luxu diffunderet, denique vitam mollem & Sacerdote indignam duceret, rogantes; ipso deposito, alium meliorem sufficeret. Joannes, postquam querelas & argumenta contra hunc Præsulem ad se missa mature pensasset, reum omni Ecclesiastica Dignitate privavit, aliumque Metropolitanam Æthiopiis dedit. Quippe Ecclesia Æthiopiæ Sedi Alexandrinæ simpliciter suberat, iisdem Jacobitarum erroribus corrupta. In Nubia quoque, in reliquis Africæ partibus & in provincia Hierosolymitana Patriarchæ Alexandrini auctoritas valebat; Joannes vero *Abul Meged* Sedem Alexandrinam annis viginti septem tenuit. Contra Melchitæ illa tempestate pauperrimi erant & infirmi; unde successio Patriarcharum nobis minus nota est, quamvis enim Musulmannorum Principes Christianos omnes averfarentur, magis tamen Jacobitis favebant, quibus nec cum Græcis nec cum Latinis erat Religionis societas; Melchitas autem ideo oderant, quod Patriarchæ Constantinopolitano addicti essent, quæ res Melchitis haud modicum sæpe creavit periculum. In prima & secunda Christiano-

Sæcul. XII.

A.C. 1191.

sæcul. XII. rum expeditione Melchitæ propenso in
A.C. 1191. Latinorum Episcopos animo eorundem
 præsidium sibi conciliarunt, ipsis utilis-
 simum, quamdiu Regnum Hierosolymæ
 stetit, sed postea valde funestum; cum
 enim urbs sub potestatem Mahometano-
 rum rediit, crudelissime fuissent habiti,
 nisi pactis cum Saladini Duce initis eam
 prodidissent. Exinde Latinis aperte ad-
 versari cœperunt, ut se liberarent a ca-
 lumniis Jacobitarum, qui nullum non
 lapidem movebant, quo obtinerent
 mandatum, Ecclesias Melchitarum clau-
 dendi. Saladinus quemcunque in sua
 Religione perseverare sinebat, cunctas-
 que Christianorum Sectas suo præsi-
 dio tutas esse jubebat (*).

§. XXXIII.

(*) In diesem Absatz wird ein aufmerk-
 mer Leser beobachtet haben, daß Johann, Pa-
 triarch zu Alexandrien die Weicht abgeschafft.
 Diesen Mann könnten etwan Protestanten als ei-
 nen Zeugen der lutherischen Wahrheit anführen.
 Nur ist es Schade, daß dieser abtrünnige Pa-
 triarch ein Liebhaber der jüdischen Beschneidung
 gewesen. Ferner wird jedermann hier leicht an-
 merken, daß alle Gemeinde, die sich von der Ge-
 meinschaft des römischen Stuhles abgerissen, über
 kurz oder über lang also zerfallen, daß eine jede
 aus ihnen anheut kaum den Schatten einer christ-
 lichen Kirche vorstellet.

§. XXXIII.

Sæcul. XII.

A. C. 1191.

Pugna ad Arsuf.

Post Regis Philippi abitum, Saladinus ad *Vie Salad,*
 oppidum *Arsuf*, quod nostri Scri- *M. S.*
 ptores *Assur* nominant, instructa acie *Rog. p. 698.*
 Regem Richardum aggressus est, qui li-
 cet viribus inferior prælio vicit & fero-
 cem profligavit, Sabbato die decima Se-
 ptembris. Hujus victoriæ datis literis
 certiozem fecit Rex Abbatem Claræval-
 lensem, adjiciens, se in Syria haud diu-
 tius quam usque ad Pascha commorari
 posse, Ducem autem Burgundiæ, Cam-
 pania Comitem, ceterosque Crucige-
 ros, nisi succurrerent Occidentis popu-
 li, ferendis hostium assultibus haud sa-
 ne pares futuros. *Quare, subjungit*
 Richardus Rex: *Sanctitatem tuam, fle-*
xis genibus, oro; Principes, Nobiles,
populos, totumque Christianum orbem
hortare: veniant post Pascha armati ad
defendam Hæreditatem Domini, om-
nes, inquam, excita, sicut nos ad hanc
expeditionem suscipiendam provocasti.
 Hæc Epistola Jafæ prima Octobris data
 est. Abbas vero Clarævallensis, ad *Chro. Cla-*
 quem dirigitur, tunc erat Garnerius, o- *ræval. an.*
 lim Abbas Monasterii *d' Auberive*, anno *1186. & 1192*
 sequente millesimo centesimo nonagesi-
 mo secundo, Episcopus Lingonensis e-
 lectus.

Com-

Sæcul. XII.

A.C. 1191.

Rog. p. 685.

Jo Brompt.

p. 1191.

Sup. Lib.

LXXIII.

f. 18.

Auct. Aquicinct.

an. 1191.

Guil. Tyr.

21. c. 26.

Gall. Chron.

to. I. p. 117.

Complures ex Crucigeris dignitate conspicuos in hac expeditione Regis Angliæ tam in obsidione Acriæ, quam postea, mors abstulit, videlicet, Sibillam Reginam Hierosolymæ, Guidonis Lugignani uxorem, Heraclium Patriarcham Hierosolymitanum, Balduinum Archiepiscopum Cantuariensem, Theodoricum Archiepiscopum Vesuntinum, pluresque alios Præsules ac magnum Optimatum numerum. Heraclius Titulum Patriarchæ Hierosolymitani annis undecim gesserat, eique Cœlestinus III. Papa Albertum Eremitam, Episcopum *Bethlehem*, subrogavit, Petri Eremitæ, primæ sacre expeditionis auctoris pronepotem, qui Concilio Lateranensi anno millesimo centesimo octogesimo nono interfuerat. Theodoricus *de Montfaucon* Archiepiscopus Vesuntinus, Fridericum Imperatorem in profectioe sacra secutus, peste correptus, vigesima tertia Novembris anno millesimo centesimo nonagesimo primo occubuit.

§. XXXIV.

Obitus Balduini Archiepiscopi Cantuariensis.

Gervas.

p. 1566.

1569.

Balduinus Archiepiscopus Cantuariensis in obsidione Urbis Acriæ anno superiore decima nona Novembris excessit e vita

evita, postquam Ecclesiæ suæ annis ferme sex præfuisset, quo toto tempore inter ipsum & Monachos Ecclesiæ Christi, Cathedralis suæ, jurgia fervebant, occasione novi Collegii, ex consilio Henrici Regis instituendi, ut Jus eligendi Archiepiscopum a monachis ad Canonicos transferretur. Hos enim magis sibi obnoxios habiturum quam monachos Rex sperabat. Tabulæ Foundationis Hakintonii conscriptæ, Ecclesia ædificata, S. Thomæ honori dedicata, & non nulli Canonici in possessionem missi. Verum urgentibus Monachis Urbanus Papa III. omnia nulla declaravit, quin etiam muros recentes dirui jussit. Optata se impetraturum a Gregorio VIII. Urbani Successore credidit Archiepiscopus, alteramque Foundationem Lamethi ad Tamisim prope Londinum molitus est; quam rem perficere fatum non expectatum non permisit. Haud exiguum librorum numerum Balduinus ad posteros transmisit, ex quibus sequentes typis vulgati sunt: Tractatus sexdecim, seu Sermones de variis Argumentis, unus Liber de Fide, seu de Sancto Sacramento Altaris, Bartholomæo Episcopo Oxoniensi tunc Mæcenati suo inscriptus. In his vero Operibus, quod plerorumque Scriptorum illius ævi vitium est, loci communes, sensus Scripturæ allegorici & arbitrarij, sermones

Sæcul. XII.

A. C. 1191.

Sup. Lib.

LXXIII.

*n. Godwin.**de Præs.**Angl.**Bibl. Cisterc.**to. 5. init.*

mones

Sæcul. XII. mones vagi & insipidi occurrunt, ita ut
 A.C. 1191. Lectores nec dulce nec utile in iis in-
 veniant.

Gervas
Chron.
p. 1569.

Id. p. 1579.
Rog. p. 712.

Richardo Regi Messanæ agenti literæ redditæ sunt, quibus obitus Balduini Archiepiscopi nunciabatur. Inde ergo datis ad Capitulum Cantuariense literis, Monachos rogavit, ut Guilielmum, Archiepiscopum Montisregalis in Sicilia in Archiepiscopum suum eligerent. At illi, rejecto viro alienigena & sibi ignoto, excusarunt, quod eum eligere non possent, donec certiora de morte Balduini percepissent. Postmodum cum alterum mandatum a Rege accepissent, congregati monachi vigesima septima Novembris Renaldum Episcopum Bathoniensem, cognomento *Fitz Jocelinum*, quod Jocelini Episcopi Saresberiensis filius esset, Archiepiscopum Cantuariensem elegerunt. Qua electione confirmata, Pontifex ei Pallium misit. Sed interim Renaldus in morbum incidit, & extrema sibi imminere sentiens, sumto habitu Monastico, titulo Ecclesiæ Cantuariensis, altera post Natalem Domini die, vigesima sexta Decembris, eodem anno millesimo centesimo nonagesimo primo, e vivis abiit.

§. XXXV.

§. XXXV.

Sæcul. XII.
A.C. 1191.*Episcopus Eliensis ex Anglia pulsus.*

Richardo Rege absente, graves turbæ in Anglia exortæ. Nam duo ejus fratres, Joannes Comes Moretonii * & * Mortain. Godefridus Archiepiscopus Eboracensis, violato juramento, quod ediderant, se in Ditionibus ultra mare positis commoratos, in Angliam reversi factionem validam excitarunt contra Guilielmum Episcopum Eliensem, Regni Cancellarium, Sacræ Sedis Legatum, cui præcipue Rex res gerendi potestatem & auctoritatem crediderat; hoc enim viro ad reprimenda eorum molimina utebatur. Ceterum Archiepiscopus Eboracensis, cum mandata a Summo Pontifice obtinuisset, effecerat, ut Turone a Bartholomæo Archiepiscopo, sex ejus Suffraganeis & Episcopo Bajocensi assistentibus, die Dominica, decima octava Augusti in Ecclesia Metropolitana S. Mauritii consecraretur, frustra repugnantibus Clericis & Suffraganeis Cantuariensis Ecclesiæ, & affirmantibus, Archiepiscopum Eboracensem a nullo alio quam a suo Archiepiscopo ordinari debere. Unde, cum Godefridus in Angliam die decima quarta Septembris appulisset, jubente Episcopo Eliensi Dubri
com-

*Rog. p. 700.*** Mortain.**Radev. Dit.
p. 663.**Gervas.
p. 1571.*

com-

Sæcul. XII.
A.C. 1191.

comprehensus, per plateas turpiter raptatus & in carcerem conjectus est.

Radulf.
p. 659.

Captivum Moretonii Comes ejus frater liberavit, ac captata occasione, quod tanta Archipræsuli illata esset injuria, Episcopos Principesque Angliæ, jam ante Episcopo Eliensi, auctoritate sua invidiose utenti, infestos, acerrime concitavit. Inter hæc Gualterius Archiepiscopus Rotomagensis in Angliam vigesima septima Aprilis reversus erat, cum epistola Richardi Regis, in qua Episcopo Eliensi aliisque, quibus curam Regni commiserat, præcipiebat, ut Gualterium omnium consiliorum ad Rempublicam pertinentium participem facerent. Ut Regiis mandatis satisfaceret, Comite Moretonii auctore, Londini, die Martis, octava Octobris, Conventus celebratus, cui duo Archiepiscopi Rotomagensis & Eboracensis, omnes ferme Episcopi, atque inter alios S. Hugo Lincolnensis, & Comites Angliæ interfuerunt. In eo autem, Cancellario Episcopo Eliensi, a Regimine Reipublicæ communi consensu deposito, Archiepiscopus Rotomagensis subrogatus est, qui nihil agere, nisi ex consilio virorum, sibi a Rege ad res gerendas adjunctorum, constituit. Cancellarius cedere tempori coactus, Turrim Londinensem, quo se receperat, tradidit, promittens se prius Regno non excessu.

Id. p. 664.
Rog. p. 701.

cessurum, quam etiam alia munimenta, quæ in ipsius erant potestate, dedidisset. Nihilominus, cum Dubri e portu solvere, sub muliebri veste latens, pararet, proditus & custodia datus est. Episcopis deinde faventibus in libertatem assertus, in Franciam trajecit, ubi Parisiis ab Episcopo Clericisque solemniter pompa procedentibus exceptus est, a quibus, datis sexaginta argenti marcis, honorem istum impetravit. Inde Guilielmus in Normanniam digressus, Legatis ad Cœlestinum Papam missis, contra Comitem Mortaniæ consciosque actionem movit.

Sæcul. XII.

A.C. 1197.

Jo. Brompt.
p. 1226.

§. XXXVI.

Actio Romæ contra Episcopum Eliensem.

Sed ejus Adversarii quoque Nuncios Romam miserunt, & Hugo Episcopus Coventriensis, edito Libello, omnium conjuratorum querelas contra Cancellarium exposuit, quas exaggeravit, & scomatice ejus depositionem, fugam, ac denique, quibus adjunctis ejus sexus Dubri deprehensus fuerit, verbis, quæ honeste non proferantur, retulit. In fine petiit, ut Ecclesia Romana ob tam gravium errorum pœnas exigat, & Rex Angliæ Regno suo viros idoneos præficiat. Verum Papa majorem rationem

Rog. p. 702.

Hist. Eccles. Tom. XVIII. T ha-

Sæcul. XII. habuit eorum, quæ Cancellarius, Le-
 A. C. 1191. gatus suus, perscripserat, deditque ad
 Id p. 706. Episcopos Angliæ epistolam, in qua dicit:
 Cælest. ep. I. *Cum dilectus in Christo filius noster Ricardus Rex propter honorem Dei absens sit, jura Regni ipsius conservare debemus. Itaque quia compertum habemus, Joannem Comitem Moretonii & quosdam alios jura Regni & Venerabilis Fratris nostri Guilielmi Episcopi Eliensis, Sacræ Sedis Legati, temere violasse, vobis in virtute obedientiæ præcipimus, ut, si quidem ita est, conveniatis, & Comitem, ejusque conscios Fautores & Consiliarios vinculo excommunicationis adstrictos publice, accensis candelis, & pulsatis campanis denunciatis, quod manus violentas in Episcopum injecerint, eum in carcere tenuerint, aut præfecturam Regni a Rege constitutam mutare præsumserint. In terris reorum & consciorum omnia Officia Divina celebrari prohibete, donec ad Sacram Sedem veniant, a nobis absolvendi, afferantque Guilielmi Legati & vestras literas testantes, ipsum libertati & Regnum pristino statui esse restitutum.* Hanc epistolam die secunda Decembris anno millesimo centesimo nonagesimo primo datam Episcopus Eliensis S. Hugoni Episcopo Lincolnensi transmisit, ut, quæ Pontifex in ea mandabat, exequeretur. Sed in Anglia nulla hujus Epistolæ Papalis ratio

Rog. p. 770.

tio habita, nec etiam alterius scriptæ ab Episcopo Eliensi, quem nec Sedis Apostolica Legatum nec Regni Cancellarium amplius venerabantur.

Interim Archiepiscopus Rotomagensis Romam Legatos miserat, qui anno sequente millesimo centesimo nonagesimo secundo ei rescripserunt in hunc modum: *Silentio præterimus pericula & labores itineris. Postquam vero structas nobis insidias sæpius evasimus, tandem incidimus in grassatores, qui nos rebus omnibus, exceptis equis & literis spoliaverunt; atque ita omni pecunia destituti pervenimus in Urbem, in qua sumtus maximi faciendi sunt. Agebatur dies undecima Februarii, Curia autem Romana in Basilica S. Petri diversabatur. Vidimus ibi Cancellarii Legatos, feroces, & successu rerum suarum elatos; reditum enim parabant, postquam effecissent, ut Papa Domini sui Legationem in Anglia confirmaret, datis Bullis, quibus jam erant sigilla apposita. Papam vero, ubi in conspectum admissi sumus, omnesque illos, quorum consilio utebatur, Cancellarii causa omnino faventes intelleximus; nihilominus postquam advenimus, Bullas ejus Nunciis tradere Pontifex distulit.*

Ad Curiam igitur introducti Papæ, omnibusque Cardinalibus tuas, Episcoporum, aliorumque Præfulum, & Optimum

Sæcul. XII.

A.C. 1192.

Rog. p. 718.

Jo. Brompt.

p. 1232.

Sæcul. XII.
A.C. 1192.

Turbæ in
Anglia.

matum Angliæ literas obtulimus, ad-
jicientes, quæ mandatis tuis consentanea
existimavimus, & postquam Episcopi
Eliensis Nuncii responsa sua & objecta
contra nos protulissent, Papa indignanter
& fastidiosè contra causam tuam longam
orationem exorsus est. Scimus, inquie-
bat, Regem Angliæ præfecturam totius
Regni soli Episcopo Eliensi commisisse,
nec alterum ei vel superiorem vel æqua-
lem dedisse. Inspeximus Regis epistolas,
alias vero, quibus priora mandata ab-
rogaret, non vidimus. Fateor quidem,
quod complures viri venerabiles adversus
Cancellarium apud nos querelas datis lite-
ris moveant; contra autem literas etiam
ei faventes ab aliis viris spectatæ auctori-
tatis accepimus. Quas vero vos attu-
listis, ab iis sunt, qui Legatum Sedis
Apostolicæ expulerunt; non mirum igitur,
quod propriæ suæ causæ faveant.
Præterea non ignoramus, Regem nulli
unquam hominum tanta amicitia sincera
pignora dedisse, aut tam eximios hono-
res exhibuisse, præterquam Episcopo
Eliensi. Quippe non satis Richardo fuit,
pinguissimam Ecclesiam Eliensem, Can-
cellarii dignitatem & Præsidis, se ab-
sente, potestatem huic Episcopo conferre,
sed etiam a Clemente Papa piissimæ me-
morie & a nobis petiit, ut eum Sacræ
Sedis Legatione muniremus; quod instan-
tissime

tissime flagitanti concessimus. Quamob- Sæcul. XII.
A. C. 1192.
rem credere non possumus, nisi ejus lite-
ras & sigillum videamus, tam subito Re-
gis gratiam amisisse virum usque adeo
prius amatum, nec, nisi nobismetipsis
adversari & repugnare velimus, Epi-
scopi Eliensis Legationem, quam ei, a
Rege & omnibus Angliæ Episcopis ro-
gati, contulimus, vel suspendere vel tol-
lere possumus. Tenemus Episcoporum, &
Domini vestri Archiepiscopi Rotomagen-
sis, literas, quibus Cancellarium Episco-
pum Eliensem Legatione Apostolica ex-
ornari poscunt. Donec felix fuit Epi-
scopus iste, laudabatur ab omnibus; nulla
Ecclesia, nullum monasterium, privato-
rum nemo querebatur, aut virum iniquæ
exactionis accusabat, nunc vero, dum
adversam fortunam patitur, omnes in
perculsum declamant.

Maximi sane ponderis cunctis vide-
bantur argumenta, exposita a Pontifice,
qui majorem se non habet, a Papa & supremo
Judice, cujus voluntati nemo resistit. Illud
quoque non nulli contra causam tuam pu-
gnare credebant, quod Rex rediens Pa-
pam rogaverit, ut tibi Legati potestatem
in Normanniam aliasque transmarias
provincias daret. Nemini enim verifi-
mile videbatur, voluisse Regem tibi Præ-
fecturam in Angliâ & Legationem in Nor-
mannia conferri, cum nemo in alia pro-
vincia

Sæcul. XII.
A.C. 1192.

vincia residens in alia tam sublime munus obire queat. Tandem Papa, tum nostris, tum quorundam Cardinalium, quos in partes tuas pertraxeramus, precibus utcunque mitigatus, cum omnium Cardinalium præsentium sententiam requisisset, & diu fuisset deliberatum, sententiam protulit, qua Cancellarium a tuis censuris absolvit, & vicissim censuram Cancellarii in te latam nullam declaravit. Præterea ei injunxit, ut objecta de vi Archiepiscopo Eboracensi illata dilueret. Ceterum eidem Cancellario Legati potestatem non ademit, sed restrinxit, prohibuitque, ne Sententiam Interdicti, Suspensionis, aut Excommunicationis in te, in Episcopos, in Præfectos, aut Optimates Angliæ denunciaret.

His subjunxit Papa: quod, utriusque Partis consensu, in Angliam missurus esset Viros paci inter te & Cancellarium reducendæ, vel saltem animis demulcendis idoneos. Ceterum speramus, nos effecturos, ut epistolæ Papæ ad omnes Angliæ Episcopos directæ, quibus acceptis, Cancellarius te pluresque alios Excommunicatos denunciavit, abrogentur; quæ de re cum in Consistorio præsentibus omnibus quereveremur, & epistolæ illæ lectæ fuissent, Pontifex aperte reclamavit, affirmans, se inscio scriptas esse. Idem profitebantur, admirantibus similes Cardinales.

nales. *Obstreptibus vero Cancellarii Sæcul. XII.*
nunciis Papa non respondit. Sed illa nocte A.C. 1192.
 Papam adeunt, exprobrant, quod publice a se factum publice negasset, memorant, quot obsequia ei Dominus ipsorum Cancellarius præstitisset, & per honorem Ecclesiæ Romanæ ac proprii nominis gloriam obtestantur, ut testimonium præberet veritati. His monitis expugnatus Papa altera die in Consistorio, Cardinalibus, Clericis populoque præsentibus dixit: Fratres mei! confiteor, quod in Episcopum Eliensem ejusque Nuncios graviter peccaverim. Nam in memoriam rediit, quod epistolæ, quibus sententiam excommunicationis in Comitem Moretonii, Archiepiscopum Rotomagensem ipsorumque conscios confirmavi, meo jussu missæ fuerint; eas hodieque confirmo, voloque, ut, quibus imperatum est, injuncta exequantur. Talis est epistola, quam Legati ipsius ad Archiepiscopum Rotomagensem dederunt.

§. XXXVII.

Legati in Normannia non recipiuntur.

Itaque Cælestinus Papa hoc anno mil Reg. p. 720.
 lesimo centesimo nonagesimo secundo Jo. Bromt.
 duos Cardinales, Sacræ Sedis Legatos, p. 1238.
 Octavianum Episcopum Ostiensem, &
 Jordanum Abbatem Fossæ novæ, Presbyterum tituli S. Anastasiæ, in Norman-

Sæcul. XII. A.C. 1192. niam misit, causam inter Cancellarium
 Guilielmum Episcopum Eliensem &
 Gualterium Episcopum Rotomagensem
 composituros. Sed ecce, cum ad urbem
 Gifortium pervenissent, Equites arcis
 præfidiarii, & cives, jubente Normanniæ
 Prætore, intraturis clausas portas ob-
 jecerunt, quod dicerent, Regem Richar-
 dum a pia peregrinatione necdum re-
 diisse, & abeuntem Legatos Sacræ Se-
 dis se absente recipiendi licentiam non
 dedisse, quamvis tutelæ Summi Ponti-
 ficis omnes suas Ditiones commisisset.
 Respondebant Cardinales, ad pacem re-
 ducendam se venisse; sed nec preces
 profuere nec minæ, quippe armatorum
 vi ad viam, qua venerant, relegendam
 compulsi sunt. Cardinalis Octavianus
 Normanniam Interdicto adstrinxit, &
 Prætorem excommunicationis sententia
 feriit, at Cardinalis Jordanus, Richardi
 Regis amantissimus, nullam Censuram
 protulit. Cum hæc in Angliam delata
 fuissent, Regina Eleonora, Joannes Co-
 mes, Archiepiscopus Rotomagensis, alii-
 que Reipublicæ Præfecti, Hugonem Epi-
 scopum Dunelmensem in Normanniam
 mittunt, qui Censuras aboleri, & con-
 gruum honorem Legatis exhiberi cura-
 ret. Hugo itaque in Franciam devectus
 Lutetiam venit, ubi cum Cardinales
 habuisset, exasperatorum animos delini-
 vit,

vit, multoque labore & industria effecit, Sæcul. XII.
 ut promitterent, Episcopum Ostiensem A. C. 1192.
 reos a Censura Ecclesiastica absoluturum,
 posita conditione, si Prætor, consciique,
 jurarent, se se Ecclesiæ Judicio subjectu-
 ros esse, in causa injuriæ Cardinalibus
 illatæ, & ille permetteret, eos libere
 Rotomagum pergere non ut Cardinales,
 sed ut advenas & extraneos, adjecta &
 alia conditione, ut nempe Clerici Nor-
 manniæ proficiscentibus sumtus ad de-
 cem dies, quinquaginta viris & equis
 quadraginta sustentandis necessarios,
 suppeditarent. His pactis condicebant,
 se pacem inituros, Episcopo Dunelmensi
 & Decano Rotomagensi arbitris. Verum
 quia Prætor eo adduci non potuit, ut
 Legatos, sine Regis licentia, Norman-
 niam attingere pateretur, non sublatis
 Censuris reversi sunt, quamvis eos Epi-
 scopus Dunelmensis Veselium usque ob-
 sequii causa comitaretur. At Papa Cardi-
 nales Interdictum solvere jussit, ac pe-
 dem in Normanniam inferre vetuit.

§. XXXVIII.

S. Albertus Episcopus Leodiensis.

Rudolphus Episcopus Leodiensis a sacra Ægyd. de
 profectioe reversus, cum prope Episc. Leod.
 diem in domum suam perventurus esset, c. 56. &c.
 quinta Augusti, anno millesimo centesimo
 nonagesimo primo, veneno necatus est.

T 5

In

Sæcul. XII. In electione Successoris divisa fuere sus-
 A. C. 1192. fragia, plerisque Albertum Lovanien-
 sem, primum Leodiensis Ecclesiæ Archi-
 diaconum, Henrici Ducis Lotharingiæ
 & Lovanii fratrem, aliis, factione Bal-
 duini Comitis Namurcensis impulsis, alte-
 rum Albertum, Comitis Retelii fratrem,
 etiam Archidiaconum Leodiensem, eli-
 gentibus, virum & literis & ingenio desti-
 tutum, cui nobiles Natales pro meritis
 erant. Ambo Imperatorem Henricum
 adierunt, Investituram impetraturi. Sed
 ille, qui Episcopatum istum tertio desti-
 naverat, & odio inveterato in Ducem
 Lotharingiæ flagrans, affirmavit, diffi-
 dentibus Canonicis electionem esse nul-
 lam, & tunc sibi soli competere Episco-
 pum nominare. Itaque Ecclesiæ Leo-
 diensis Investituram Lothario Bonensis
 Ecclesiæ Præposito contulit, viro opu-
 lento, jam ante plures Dignitates Ec-
 clesiasticas consecuto, fratri Comitis
 Horstadiensis, qui præclara Imperatori
 præstiterat obsequia. Canonici ad Pa-
 pam appellarunt, quippe asserebant,
 electionem Alberti Lovaniensis esse Ca-
 nonicam; sed Lotharius Leodium ve-
 niens & Episcopatus & arcium muni-
 tarum possessionem cepit.

c. 59.

c. 60.

Albertus vero Romam profectus est,
 superatis multis impedimentis, nam Im-
 perator omnes aditus obsideri jusserat.

Quare

Quare per vias obliquas iter faciens, servi vestem indutus tandem in isto habitu Pontifici sistitur; qui lacrymas non tenens, ad genua accedentem amplexus & solatus est, jam antea fama sibi notissimum. Romam pervenerat Albertus ad Festum Paschæ, illo anno millesimo centesimo nonagesimo secundo in diem quintam Aprilis incidens, ibique usque ad octavam Pentecostes commoratus est. Argumenta produxit, quibus electio peracta Canonica fuisse probabatur, non nullis tamen Cardinalium censentibus, Germanorum ferocitati & implacabili Imperatoris odio cedendum esse. Tandem Papa, præstituta ad vulgandam sententiam die, in Palatio Lateranensi electionem de Alberto peractam Canonicam publice declaravit & confirmavit, ipsum Cardinalem creavit, & Diaconum Sabbato quatuor temporum ante Pentecosten ordinatum, Evangelium ad Missam cantare iussit. Tum omnes Bullas necessarias ei tradi præcepit, ac inter alias mandatum, vi cuius a Guilielmo Archiepiscopo Remensi consecrari posset, si Bruno Archiepiscopus Colonienfis, ejus Metropolitæ, iram Imperatoris metuens, manus ipsi imponere recusaret. Has vero literas omnes, jubente Papa, sine ullo dato pretio accepit.

Alber-

Sæcul. XII.
A.C. 1192.

c. 62.

Sæcul. XII.

A.C. 1192.

c. 62.

Albertum, ubi Remos pervenit, Guilielmus Archiepiscopus omni honoris genere coluit, Presbyterum Sabbato quatuor temporum, mense Septembri, ordinavit, & die Dominica sequente, vigesima tertia ejusdem Mensis, Episcopum Leodiensem consecravit. Altera die literæ afferuntur, Imperatorem Leodii versari, iram vindictamque coquere, ac omnibus qui Episcopo Alberto favere auderent, exitium minari. Dux quidem Ardennensis Silvæ, Præsulis patruus, qui eum Remos perduxerat, suadebat; vim vi repelleret, contractis amicorum auxiliis. Sed Albertus id penitus rejiciebat, professus, nunquam se consensurum, ut armis & sanguine via sibi ad Episcopatum aperiretur. Sperare se, quod Imperatoris animum humilitate & patientia conciliaturus esset. Haud multo post Remos adveniunt tres Germani ordinis Equestris, & quinque Nobiles, se exortis rixis a Curia & societate Imperatoris ejectos simulantes. Hi ad Episcopum Leodiensem salutandum in ejus conspectum admittuntur, paulo post in amicitiam quoque ob singularem morum humanitatem recipiuntur, Episcopum procedentem comitantur, sæpe ad convivium invitantur. Nec deerant, quibus suboleret, pessimo consilio advenisse hos Germanos, verum S. Episcopo nullus malum

c. 67.

malum aliquod suspicandi locus esse vide-
batur. Tandem vero cum incautum Sæcul. XII.
quadam die quasi ambulandi & liberio- A.C. 1192.
rem aërem captandi causa extra civita-
tem deduxissent, nemine nisi Canonico
uno & equestri viro Episcopum comi-
tantibus, ubi passus ferme quingentos
excesserant, duo illi, qui utrumque latus
stipabant, Præsulis tempora nudatis mu-
cronibus transverberant, ceterique la-
trones gladiis & sicis, plus quam ad mor-
tem opus erat, ex equo collabentem
conficiunt, quippe, qui corpus occisi
deinde explorarunt, plagas tredecim gra-
vissimas adactas deprehenderunt. Latro-
nes, subditis equis calcaribus, noctis in-
gruentis beneficio usi; Virdunum hora
ferme nona matutina pervenerunt, unde
ad Imperatorem regressi, amico vultu
excepti sunt (*).

c. 83.

Alber-

(*) In Palatio, ad Henricum VI. Asperum
hæc leguntur: *Fama namque de obitu Fride-
rici allata, Philippus Archiepiscopus Colonien-
sis, Albertus Leodiensis Antistes, alii Germaniæ
& Burgundiæ, rerum movendarum cupidi de
Henrico abdicando agitabant. Verum post-
quam Leodiensem truculentius ceteris agen-
tem apud Remos obtruncatum viderunt, in-
clinantibus etiam in Henricum Italorum ani-
mis, venia petita, se ad eum contulerunt.*

Sæcul. XII.

A.C. 1192.

c. 86.

Marlot. to. 2.

p. 431.

Albertus Episcopus die Martis, vigesima quarta Novembris, anno millesimo centesimo nonagesimo secundo, ita trucidatus, in Ecclesia Metropolitana Remis solemnè pompa sepultus est. Post mortem, ut Martyr ob defensam libertatem Ecclesiasticam honoratus, atque in adjuncto Epitaphio hoc Titulo decoratus est. Non nulla ad ejus tumulum edita miracula referuntur. Tandem vero elapsis annis plus quam quadringentis, videlicet anno millesimo sexcentesimo duodecimo, Albertus Archidux & Infans Isabella ejus conjux, consentiente Rege Ludovico XIII. licentia a Cardinale Guisio Archiepiscopo Remensi impetrata, eductum S. Alberti corpus solemnè supplicatione in Carmelitarum Ecclesiam, quam ante breve temporis spatium Bruxellis condiderant, transtulerunt. Ejus memoria in Martyrologio Romano vigesima prima mensis Novembris agitur.

§. XXXIX.

*Stephanus Episcopus Tornacensis.**vit. per Cl.
du Molinet.*

Eberhardo Avennensi Episcopo Tornacensi, anno millesimo centesimo nonagesimo primo, fatis functo, subrogatus est Petrus, Ecclesiæ Parisiensis Cancellarius, Doctor celeberrimus, quod factum Guilielmo Archiepiscopo Remensi, Ecclesiæ Tornacensis Metropolitano,

tano, & absente Rege Philippo Augusto, Sæcul. XII.
Regni Præfecto minime probabatur. A.C. 1192.

Hinc Stephanus Abbas S. Genovevæ
Parisis, qui Guilielmo ab intimis con-
siliis erat, datis literis Petrum Cantorem
commendavit, & quia Canonici Torna-
censes in Electionis forma errasse dice-
bantur, affirmabat, hanc culpam Petro
absenti & nescienti nocere non posse.
Subjunct, Regem diserte præcepisse,
ut Petrus Episcopus Tornacensis elige-
retur, additque: *Proinde timendum,*
ne si is rejiciatur, Philippus, & Rex
& juvenis, in majus malum prorumpat.

ep. 175.

Tam procul autem abfuit, ut Archi-
episcopus Remensis argumentis, a Ste-
phano Abbate allatis, moveretur, ut
suaserit Canonicis, eum ipsum elige-
rent sibi Episcopum. Cui consilio omnes
applauserunt, solo Stephano vehementer
in admirationem raptò, ubi se electum
esse certior factus est. Id profitetur in
epistola ad Bartholomæum Vindocinen-
sem Archiepiscopum Turonensem data,
ubi subjungit, constituisse se animo, ad
Festa Paschalia ad Ecclesiam, quæ se vo-
caret, pergere, ut in die octava (age-
batur vero annus millesimus centesimus
nonagesimus secundus) consecraretur.
Cœlestino Papæ hæc electio non proba-
batur; sed cum ei Stephanus epistolam
demississima oratione scripsisset, acquie-

Ep. 177.

Ep. 179.

VIC

Sæcul. XII. vit Pontifex. Itaque Stephanus, Torna-
 A. C. 1192. censi Ecclesiæ præfectus, eam annis un-
 decim rexit.

Annum ætatis suæ agebat quinquagesimum septimum, cum ad Episcopatum vocatus fuit. Natus enim erat Aureliani anno millesimo centesimo trigésimo quinto, ubi literarum Rudimentis in Schola Ecclesiæ Cathedralis imbutus, Carnoti deinde severioribus Disciplinis operam dedit. Cumque natura ita comparatus esset, ut nullius rei amore magis quam sciendi desiderio teneretur, doctrinæ singularis laude ævo suo ita floruit, ut nemo magis. Prosa & carmine elegantissime scribebat, pro genio sui Sæculi, cui trivialis versificatio & inanes vocabulorum lusus placebant. Institutum Canonicorum Regularium amplexus est, secundum Reformationem S. Eguwerti Aureliani, anno millesimo centesimo quinquagesimo octavo inventam; cumque S. Thomas Cantuariensis, tunc in Francia degens, viri merita cognovisset, eum intimorum amicorum numero adscripsit. Stephanum, postea Abbatem S. Eguwerti electum, cum hoc Monasterium regeret, & Mauritium Episcopum Parisiensem consuluit Pontius Episcopus Claromontanus; quid dicendum de valore Baptismi collati his verbis: *In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti,*

Vita Stephani Tornacensis.

Ap. Steph.
ep. 3.

Sancti, si baptizans omittat verba: *Ego te baptizo*, sed infantem in aquam immergat. Mauritius Episcopus respondit, nullum esse hujusmodi Baptismum, sed aliter baptizandum esse talem parvulum. Verum Stephano Abbati alia stetit sententia. Asserebat, in Baptismi Institutione Jesum Christum non dixisse: *Ite, baptizate, dicentes: Ego te baptizo* & reliqua. Atque Baptismum, cum tribus immersionibus ac invocatione Trinitatis collatum, non debere declarari nullum. Id confirmabat auctoritate complurium SS. Patrum, qui hoc moti argumento etiam Hæreticorum Baptismum receperunt. *Nilominus*, ajebat, *maxime revereor formulam consuetam, Ego te baptizo, eamque ad Solemnitatem Baptismi non autem ad substantiam pertinere existimo. Secus illos damnabimus, quos Laici in casu necessitatis baptizant, nihil enim aliud, cum parvulos immergant, dicunt, nisi: En nome Patres & Files, & Espirites Santes.* Ex his & ex epistola Pontii Episcopi videmus, Fideles voce *ondoyer abluere* seu *immergere* ad significandum Baptismum, sine cæremoniis Ecclesiasticis collatum, jam illa ætate usos fuisse. Tandem inferebat Stephanus, hujusmodi parvulum valide esse baptizatum, suam autem sententiam modestissime exponit, & magnam reverentiam.

Sæcul. XII.
A.C. 1192.

Ep. 4.

Ep. 5.

Hist. Eccles. Tom. XVIII. U ren-

Sæcul. XII
A. C. 1192.

C. 1. ext. de
Bapt.

S. Tom. 3.
part 9. 66.
ar. 5. ad 2.

rentiam Episcopi Parisiensis, qui contrarium definierat, profitetur. Exinde Alexander III. Papa juxta mentem Episcopi Parisiensis pronunciavit, atque Theologi, hanc Decisionem secuti, docuerunt, hæc verba: *Ego te baptizo*, ad manifestandam Ministri intentionem & Baptismum ab omni alia ablutione discernendum esse necessaria (*).

Anno millesimo centesimo septuagesimo septimo, Stephanus Parisiis S. Genovevæ Abbas eligitur, Canonicis S. Eguverti Aureliani amare lugentibus, qui etiam discedenti annuam pensionem ex quibusdam agris suis accipiendam concesserunt. In Monasterio S. Genovevæ præ-

(*) Etsi Stephani Abbatis opinio, sistendo in Theoria, sua probabilitate non carere videatur, cum omissis verbis: *Ego te baptizo*, simpliciter tamen fiat, quod Christus Dominus præcepit, nam Intentio Ministri ex ipsa actione, qua hominem præsentem abluit, si ex adjunctis circumstantes baptizantem serio & modo humano agere credant, manifestatur, & Baptismus per verba ab abluente simul prolata: *In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti* ab omni alia ablutione satis distinguitur, nihilominus sine dubio gravissime peccarent, qui præsertim contra Decreta Summorum Pontificum & universalem Ecclesiæ consuetudinem memorata verba omittere auderent.

præter scholas exteriores, quæ aderant, Sæcul. XII.
 alias intra claustra instituit, ne occasio, A. C. 1192.
 & commercium cum discipulis sæculari-
 bus monachos corrumpere. Ceterum
 Abbatiam S. Genovevæ, ex ruinis post
 latrocinia Normannorum, Lutetiam obli-
 dentium, ab annis trecentis necdum
 ex toto reparatam, Stephanus in inte-
 grum restituit, Ecclesiam ædificavit, qua-
 lem hodieque conspiciamus, & claustra
 virorum Religiosorum, ita ut secundus
 Conditor monasterii celeberrimi, cujus
 opes non parum auxit, haberi possit. An-
 no millesimo centesimo septuagesimo o-
 ctavo Stephanus secutus est Gualterium
 Cardinalem, Episcopum Albanensem, in
 Occitaniam proficiscentem, quem Ro-
 gerius *de Bediers*, Albigensum Fautor,
 cepit.

Sup. lib.
LIII. §. 54.

v. ep. 148.

Ep 173.
Roger. Hov.

p. 575.
Sup. Lib.
LXXII.

Philippus Augustus Rex Stephanum
 Abbatem, quem maximi æstimabat,
 aliquando ad Summum Pontificem misit,
 gravissimi momenti causam pertractatu-
 rum. Anno millesimo centesimo octo-
 gesimo septimo eundem præter alios
 patrinum filii sui & successoris Ludovici
 esse voluit. Philippo Augusto ultra ma-
 re militante, Regis Consanguineus, Gui-
 lielmus Archiepiscopus Remensis, Regni
 Moderator, Stephanum Abbatem, cujus
 dotes & experientia perspectæ ipsi erant,
 ad consilium in rebus gerendis adhibuit.

U 2 Talis

Sæcul. XII. Talis erat hic Abbas, cum ad Ecclesiam
 A.C. 1192. Tornacensem regendam vocatus est.

§. XL.

Ordo Viardinorum.

Mem. M. S. Sub idem Tempus Ordo Viardinorum
 seu *Vallis Olerum* institutus. In Car-
 tusia Luviniacensi, Diœcesis Lingonen-
 sis, anno millesimo centesimo octogesi-
 mo octavo quidam Frater conversus, no-
 mine *Viard*, qui, ad vitæ rationem ma-
 gis austeram, ac ea erat, quam in suo
 monasterio servabat, & a curis rerum
 temporalium magis liberam, a Deo vo-
 cari se sentiens, impetrata Præpositorum
 suorum licentia, in silvam, duas leucas
 Luviniaco distantem, se recepit, ubi ali-
 quamdiu in horrido specu absconditus
 singularem rigorem in se ipsum exercuit.
 Postea vero a vicinæ regionis populo in-
 ventus est, virique fama usque ad aures
 Ducis Burgundiæ pervenit, qui sæpe ad
 eum invisit. Cumque aliquando Dux,
 imminente hostium exercitu, ad prælium
 accinctus esset, & non temnendum pe-
 riculum intueretur, Viardo pollicitus est,
 si commissa pugna victor rediret, se in
 eodem loco Monasterium conditurum.
 Vicit Dux, & promisso stetit, novumque
 Monasterium vetus nomen a loco, qui
Vallis olerum vulgo dicebatur, traxit.
 Antiqua in illa Ecclesia Inscriptio, *Viardum*

dum secunda die mensis Novembris an- Sæcul. XII.
no millesimo centesimo nonagesimo ter- A.C. 1192.
tio, pedem primo intulisse, prodit.

Is Discipulis suis Constitutiones Sta-
tutis Cartusienſium ſimillimas ſervandas
tradidit, exinde ab Honorio III. Papa
confirmatas. Qua de re Jacobus Vitria- *Hist. Occid.*
cus, illius ævi Scriptor, hunc in modum *c. 17.*
loquitur, qui in eo tamen fallebatur, quod
crediderit, Viardi Discipulos Cisterci-
ſium Inſtitutum fuiſſe amplexos. *In*
exiguſ, inquit, degunt cellulis, ut tran-
quille lectioni, orationi & contemplatio-
ni vacent. Ut curas rerum externarum
amputent, nec armenta habent, nec a-
gros, & extra ſepta Monasterii termi-
nos ſibi poſuerunt, quos transgredi non
licet. Soli Priori fas eſt exire, nec ſoli,
ſed aliquot Fratribus comitantibus, ad
inviſendum Monasteria ſibi ſubjecta, aut
aliud negotium neceſſarium perſiciendum.
Intra fines Monasterii ſunt horti, arbo-
res pomifera, legumina, ad quæ colenda
ſtatutis horis exeunt, ut laboris ſui
fructus manducent. Sunt & alii redi-
tus annui, quos ſine magno negotio per-
cipiunt, ne ulla res neceſſaria deſit. Præ-
terea ne gravi paupertate a rerum ſpi-
ritualium ſtudio avocentur, aut ad men-
dicandum compellantur, in quamcunque
domum non plures fratres, quam commo-
de alere poſſint, ſuſcipiunt.

U 3

§. XLI.

Sæcul. XII.

A. C. 1192.

§. XLI.

*Richardus Rex a Duce Austriae captus.**Rog. p. 717.*
Neubrig. 4.
c. 29. 31.
Vie. Salad.
M. S.

* Accona.

Richardus Rex acceptis literis nunciatis, quantis turbis se absente Anglia jactaretur, cum Saladino quam citissime potuit, iniit inducias ad triennium, his pactis, ut urbes Jafa, Cæsarea, *Aruff*, Hiffa, & Acria * in Christianorum potestate manerent. Juravit Saladinus, manu Alcoranum tangens. Richardus vero dixit, in patria sua a Regibus nihil præter verba, cum fidem darent, exigi. Itaque Musulmanni dexteram, quam porrigebat, amplexi, nullum alium ritum petierunt. Tum, cum ex portu Acriensi, die Jovis, octava mensis Octobris, anno millesimo centesimo nonagesimo secundo, solvisset, devitata Apulia, ubi copiae Cæsareæ in stativis erant, Dalmatiam petiturus in sinu maris Veneti naufragium passus est. Inde perditiones Ducis Austriae, quem in obsidione urbis Acriæ acerba contumelia offenderat, iter facere coactus, quamvis Templarii habitum induisset, proditur, & sistitur Duci, qui eum, Viennæ arctissimo carceri inclusum, tandem Imperatori, ipsius hosti, tradidit (*). Richardus

(*) Contumelia a Rege Angliæ, ejusque militibus Leopoldo Duci Austriae in Palæstina illata,

chardus Rex itaque vigesima die Decembris anno millesimo centesimo nonagesimo secundo captus, toto anno sequente ex custodia non est dimissus. Quo nuncio in Normanniam delato, Archiepiscopus Rotomagensis ejusque Suffraganei, datis ad Cœlestinum Papam literis conquesti sunt, Regem suum captum fuisse, a peregrinatione Hierosolymitana redeuntem, spretis Crucigerorum privilegiis, quæ eis singularem Sacræ Sedis tutelam & præsidium promittebant. Tum hortabantur Summum Pontificem, ut in hac causa S. Petri gladio uteretur. Epistolam hanc concinnaverat Petrus Blesensis, qui etiam suo nomine Conrado Archiepiscopo Moguntino, quocum ei vetus necessitudo, cum ambo juvenes scholas frequentarent, intercefferat, scripsit, rogans, omnibus viribus Regem Richardum e captivitate liberare contenderet. Alienora Regina, Richardi mater, ejusdem viri opera ad exarandas Epistolas, quas in eadem causa

Sæcul. XII.
A.C. 1192.

Petr. Bles.
ep. 64.

ep. 143.

ep. 144. &c.

U 4 ad

illata, hujusmodi erat: Quod cum aliquando Crucigeri munimenta, ab Infidelibus defensa, junctis viribus assultu superassent, & Austriaci in illa murorum parte, in quam ipsi pervaserant, signa & vexilla Ducis sui fixissent, illa deinde ab Anglis eruta, & in finetum coniecta, altera die a toto exercitu conspecta fuerint.

Sæcul. XII.
A.C. 1192.

ep. 145.

Ep. 146.

ad Summum Pontificem tres dedit, usa est. In illis Epistolis Petrus Blesensis, Reginam ita loquentem inducit: *Illud vero Ecclesia potissimum mæret, illud etiam famæ tuæ baud sane parum nocet, quod in tanta filii mei calamitate ne quidem huc usque Nuncium ad Germania Principes miseris. Sæpe, nata causa minoris momenti Cardinales tui Legationem, etiam ad barbaras non nunquam nationes, obeunt; nos autem usque adeo tibi viluimus, ut nec Diaconum aut Acolythum saltem delegaveris. Nempe bodie non Ecclesiæ honor, aut populorum salus, sed lucelli spes Legatos facit. Et in alio loco: Quid ad excusandam negligentiam afferre possis, non capimus, cum filium meum liberandi non potestas tibi sed voluntas desit. Nonne tibi Deus in persona S. Petri potestatem omnia Regna moderandi dedit? non Duces, non Reges, non Imperatores a Jurisdictione tua exempti sunt. Et iterum: Dices, potestatem tibi in animas non in corpora fuisse commissam. Demus, quod affirmas; satis nobis erit, si animas illorum, qui carissimum filium in carcere detinent, ligaveris. Facili negotio eum in libertatem asseres, si modo non hominum magis quam Dei timor animum tuum occupet.*

§. XLII.

§. XLII.

Sæcul. XII.
A. C. 1193.*Hubertus Archiepiscopus Cantuariensis.*

Inter hæc Richardus Rex, cum sciret, ^{Gervas.}
Sedem Cantuariensem adhuc vacare, ^{p. 1582.}
nec amplius speraret, Archiepiscopum
urbis Montisregalis in eam transferri
posse, Matri suæ Reginæ ex carcere scri-
psit in hunc modum: *Ubi literæ istæ ti-
bi fuerint redditæ, Justitiæ Præfectos
nostros, Episcopum Londinensem, cete-
rosque Ecclesiæ Cantuariensis Suffraga-
neos convoca; quibuscum tu ipsa sine
mora Cantuariam ad Priorem monachos-
que te conferes, atque efficies, ut Huber-
tus Episcopus Saresberiensis, nisi forte
id jam peractum sit, Archiepiscopus Can-
tuariensis eligatur. Persuasum enim
mibi habeo, hujus viri sacerdotium, Deo
gratum, ad stabiliendam Regni pacem,
& liberationem meam accelerandam fo-
re utilissimum. Ut his literis obseque-
rentur, Regina & Archiepiscopus Ro-
tomagensis, missis nunciis Monachos
Cantuarienses Londini die Dominica
Mensis Maji trigesima ad eligendum Ar- ^{Radulf.}
chiepiscopum præsto esse jusserunt. Id- ^{p. 669.}
que omnes quidem executi sunt; sed
Monachi, ut juri suo, quod de eligendo
Archiepiscopo sibi solis competere di-
cebant,*

U 5

cebant,

Sæcul. XII. A. C. 1193.
Gerv. p. 1679
Goduin. de præf. p. 118.
 cebant, consulere, Sabbato Hubertum elegerunt, cui sequente Dominica etiam Episcopi suffragati sunt. Hubertus, cognomento Walterus, olim Decanus Eboracensis, deinde, anno millesimo centesimo octogesimo nono, Balduino Archiepiscopo Cantuariensi, a quo unice amabatur, eum potissimum commendante, Episcopus Saresberiensis electus, ubi Sedem Cantuariensem conscendit, missis Romam Legatis Pallium petiit, atque ut monachis Cantuariensibus magis placeret, quo esset magis familiaris, Habitum eorum Regularem induit.

§. XLIII.

Philippus Rex Ingeburgem ducit & dimittit.

Rigord. p. 29 p. 36-37.
 Cum Philippus Augustus Rex Franciæ, amissa prima conjugè Isabella Hanoviciæ, decima quinta die Martii anno millesimo centesimo nonagesimo defuncta, ex qua filium nomine Ludovicum susceperat, viduus esset, secundas nuptias cogitans, Stephano Episcopo Noviomensi in Daniam ad Canutum III. Regem misso, ejus sororem Ingeburgem sibi sponsam expetiit. Consensit lubenti animo Rex, ac Petrum Episcopum Roschildensem addito comitatu, Regia Principe digno, eam in Franciam deducere

cere iussit. Venientem Philippus Rex Sæcul. XII.
 Ambiani, ubi eam præstolabatur, exce- A. C. 1193.
 pit, ac omnis moræ impatiens eadem Gesta in 3.
 die, Sabbato, decima quarta Augusti, an n. 48. 49. 50.
 no millesimo centesimo nonagesimo ter-
 tio, sibi de præsentis desponsatam, altera
 die, in Festo Ascensionis Beatæ Mariæ,
 a Guilielmo Archiepiscopo Remensi e-
 jusque Suffraganeis, permultis Franciæ
 Principibus præsentibus, corona redimiri
 iussit. Ecce vero, inter illas cæremoni-
 as Rex, Ingelburgem intuens, eam
 aversari & horrere, trepidare, pallere
 & denique usque adeo turbari, ut ægre
 paulo ante dilectissimæ conspectum su-
 stinere potuerit, donec ritus solemnes
 complerentur. Exinde non nulli de di-
 vortio mentionem injecerunt, aliis Regi
 suadentibus, ut horrorem, forte brevis-
 simum, affectu contrario superare cona-
 retur. Tum Philippus Reginam ad
 S. Maurum prope Parisios sibi adduci
 præcepit, ubi matrimonium fuisse con-
 summatum illa deinde semper affirmavit,
 quod tamen factum fuisse Rex negabat, ac
 eam mirum in modum fastidians æquo
 animo pati haud poterat, si quis ipso
 præsentis de Regina sermonem conse-
 reret.

Id plerique veneficorum artibus ef-
 fectum crediderunt; nam formosissima
 & castissima erat Princeps, cujus conju-
 gium

Sæcul. XII. A.C. 1193. gium ut sibi obtingeret, Rex diu antea optaverat.

Elapsis deinde ab his nuptiis duobus mensibus & septimanis tribus, Rex cum Episcopis & Regni Principibus Compendii comitia celebravit, quibus Archiepiscopus Remensis, Sacræ Sedis Legatus præerat. Introducuntur testes, qui iurarejurando affirmarunt, inter Reginam defunctam Isabellam & Ingeburgem sanguinis propinquitatem intercedere. Hanc vero affinitatem, tanquam a stipite, a Carolo Bono, Comite Flandriæ, S. Canuti Regis Daniæ filio, deducebant. Pronunciarunt Præsules, hanc propinquitatem ad dirimendum matrimonium sufficere, atque Archiepiscopus Remensis prolata sententia nullum declaravit. Regina, quid ageretur nescia, nam linguæ Francorum erat ignara, & postquam Dani, qui Franciam petenti itineris socii dati fuerant, in patriam reversi fuissent, propemodum sola, ubi interpretis opera intellexit, quid de ipsa decretum fuisset, vehementer obstupescens & erumpentibus lacrymis perfusa Gallice, ut poterat, exclamavit: *Male France! Male France! o Franciam improbam! perfidam Franciam!* addiditque *Rome, Rome!* dicere volens, quod ad Sedem Apostolicam appellaret. Mox relictam Rex in Daniam remissurus erat; sed illa redi-

*Sup. Lib.
LXVII.
S. 53.*

redire detrectavit, petiitque, ut sibi lice-
ret in Monasterium se abscondere, cum
mallet in continentia vivere, quam aliud
matrimonium inire. Itaque Rex ad
Congregationem Virginum extra Re-
gnum suum exulem dimisit.

Illa aliquamdiu custodita est, in Ab-
batia Cifoniensi * Canonicorum Regula-
rium Diœcesis Tornacensis, cujus Epi-
scopus Stephanus, postquam Principem
invisisset, ad Guilielmum Archiepisco-
pum Remensem de ea scripsit in hunc
modum: *Doleo sortem Principis opti-
mæ, causæ autem ejus judicium Divino
tribunali relinquo. Quis enim, nisi vi-
sceribus æneis sit, non moveatur tanta
calamitate matronæ Regiæ, non natali-
bus modo sed etiam virtutibus clarissimæ?
utinam cerneret tota die nunc orationi,
nunc lectioni, nunc labori manuum va-
cantem! quid aleæ, quid aliud quodcun-
que ludi genus sit, ignorat. A tempore
matutino usque ad meridiem inter calen-
tes lacrymas non tam pro se quam pro
Rege Deum precatur. In Oratorio suo
nunquam sedens, sed vel stans vel flexis
genibus nixa conspicitur. Paupertate
vero tanta premitur, ut pauca, quæ de
vestibus Regiis & supellectile supersunt,
ad depellendam famem venundare cog-
tur. Alimenta petit, & profitetur, te-
nucum, ex quo tot adversitatibus affli-
gitur,*

Sæcul. XII.
A.C. 1193.

* Cifoin.

Ep. 262.

Sæcul. XII. *gitur, ejus esse refugium, unde escam*
 A.C. 1194. *aliaque subsidia abunde acceperit. Mol-*
livi te sine tantæ supplicis lacrymis, qui
tot vulgaris conditionis egenis liberalissi-
me succurris.

§. XLIV.

Richardi Regis reditus.

Gervas.
p. 1585.

Legati, ab Huberto Archiepiscopo Can-
 tuariensi electo Romam missi, mense
 Octobri anno millesimo centesimo no-
 nagesimo tertio, cum Nuncio Pontificio,
 Pallium afferente, redierunt, quos cum
 ipse septima Novembris recepisset, ea-
 dem die in Cathedram Archiepiscopalem
 investus est. Haud diu post in præfectu-
 ra Regni subrogatur Archiepiscopo Ro-
 tomagensi, in Germaniam proficiscenti,
 ut Richardo Regi, cui Imperator liber-
 tatem concesserat, se obvium inferret.
 Tum Regi tandem in Angliam appulso,
 die duodecima Martii anno millesimo
 centesimo nonagesimo quarto, Hubertus
 extra civitatem Cantuariensem obviam
 processit. Ex equo desiliens Rex ad Præ-
 sulis pedes genua flexit, qui cum & ipse
 se demisisset in terram, alter alterum
 tenero affectu amplexus est. Episcopis
 deinde suadentibus statuit Rex, denuo
 coronari, quasi Regnum secundo auspi-
 caturus, qui Ritus Vintoniæ die Domi-
 nica octava Paschæ decima septima men-
 sis

sis Aprilis peractus. Exinde Hubertus Sæcul. XII.
 Archiepiscopus auctoritate in Anglia soli A. C. 1194.
 Regi secundus fuit, quem Rex Cancel- Rog. p. 738.
 larium, supremum Justitiæ Præfectum,
 Regni, se absente, Præsidem creavit, ei-
 demque Legati Apostolici potestatem
 in Anglia a Cœlestino Papa obtinuit. Goduin.

§. XLV.

*Querelæ contra Godefridum Archie-
 piscopum Eboracensem
 motæ.*

Graves querelas adversus Godefridum
 Archiepiscopum Eboracensem, Re-
 gis Richardi fratrem, ex impari matre
 natum, Canonici Cathedrales, & com-
 plures Abbates, ex quibus duo Ordinis
 Præmonstratensis fuere, ad Papam detu-
 lerant. Accusabatur vero Archiepisco- Cæl. ep. 5. ap.
 pus, quod, negligens officii boni Pasto- Roger. 749.
 ris, venatui, ceterisque Principum sæ-
 cularium oblectamentis plus justo in-
 dulgeret. Quod, ex quo Archiepisco-
 pus esset, nunquam Clericos ordinasset,
 nunquam consecrasset Ecclesias, nun-
 quam Abbates benedixisset, nunquam
 Synodum provincialem convocasset.
 Quod Clericorum & Abbatum famæ
 sæpe detrahere soleret, eosque leviter
 excommunicaret. Quod libertatem &
 laudabiles consuetudines Ecclesiæ suæ
 pessum-

Sæcul. XII. pessumdaret. Quod jus Romam appel-
 A.C. 1194. landi sperneret, & complures, qui ad
 S. Sedem appellassent, carceri inclusis-
 set. Quod Canonicos ad Papam ap-
 pellantes excommunicasset & suis Bene-
 ficiis privasset.

Præterea nullam habere rationem privilegiorum a Pontificibus concessorum dicebatur, sed magis iis nocere, qui hujusmodi literas producerent. Eum Judicia a Legatis Sacræ Sedis prolata non modo non exequi, sed, iis exhibitis, vehementer indignari, illosque, qui auctoritate Legatorum in integrum restituti fuissent, probrose ejicere. Viros, qui Ecclesiis vacantibus præficerentur, aptissimos arcere, & solo suo arbitrio vel pueros, vel viros morum licentia infames constituere, aut denique fructus Ecclesiarum, priusquam vacarent, usurpare. Addebant, quod sæpe, Beneficia conferens, ea minueret, aut exactis pensionibus, quas in suum lucrum converteret, Clericum gravaret. Quod reos a Censuris, accepto pretio, absolveret.

His compertis Papa mandata dedit S. Hugoni Episcopo Lincolnensi; cum aliquo Archidiacono & Priore Eboracum se conferret, & in mores Archiepiscopi accurate inquireret. *Si Actores legitimi prodeant, ait in suis literis Pontifex, audies, accusationis capita signo tuo clau-*

sa

sa ad nos mittes, & utrique Parti, con-
 cesso necessario intervallo, diem indices,
 qua Romæ judicium Sacræ Sedis sub-
 eant. Si nullus contra Archiepiscopum
 adsit Actor, nisi communis fama, pur-
 gationem Canonicam ei injunges, cum
 tribus Episcopis & totidem Abbatibus (*).
 Si sic purgare se non valeat, a Ministerio
 Episcopali suspensum ad nos mittes, ut
 quæ Officii ejus sint doceatur. Si con-
 tra Actores suos quædam objiciat, ea quo-
 que sigillo tuo munita ad nos deferri
 curabis. Si vero, ut Mandatum nostrum
 eludat, priusquam Citationem tuam ac-
 ceperit, appellet ad Sedem Apostolicam,
 vel se det itineri Romam venturus, spa-
 tium trium Mensium ei figes, intra quod
 ipse Curiam nostram adeat, & nisi pa-
 reat, mox ab eo tempore ab omni Mini-
 sterio suspensum denunciabis. Hæc Epi-
 stola Romæ, die octava Junii anno mil-
 lesimo centesimo nonagesimo quarto da-
 ta est.

Episcopus Lincolniensis cum duobus Rog. p. 749.
 Legationis hujus sociis sibi mandata 750.
 strenue curavit. Cum die Dominica
 post Epiphaniam, octava Januarii, anno
 millesi-

(*) Nempe tres Episcopi & totidem Abba-
 tes Archiepiscopi innocentiæ jurejurando te-
 stari debuissent.

Hist. Eccles. Tom. XVIII.

X

Sæcul. XII. millesimo centesimo nonagesimo quinto
A.C. 1195. Eboracum pervenissent, de omnibus articulis, in commentario suo contentis, quæstionem habuerunt, Abbatibus, omnibusque illius Diœcesis Clericis in Ecclesia Cathedrali congregatis, atque etiam Archiepiscopi Clericis præsentibus, qui dixerunt, quod Godefridus Archiepiscopus suus appellasset, & iter Romam ingressus esset.

Quare Mandatarii Quæstionem habitam Romam mittunt, Archiepiscopo sex septimanarum inducias ultra menses tres, a Papa præstitutos, præscribunt, ejusque Adversariis diem primam Junii, qua in Judicio Pontificis starent, eodem anno millesimo centesimo nonagesimo quinto, indicunt.

§. XLVI.

S. Hugonis Lincolniensis constantia.

Ceterum neminem in Anglia perficiendis hujusmodi negotiis S. Hugone Lincolniensi magis idoneum reperire erat, cujus virtutes, maxime autem amor Justitiæ invictus, zelus, cum oppressos defenderet, ferventissimus, & constantia, ubi Principum cupiditati resistendum erat, incredibilis, cunctis erant perspicacissimæ. Hinc Papæ, sub quorum Pontificatu

tificatu vivebat, negotia emergentia dif-
ficillima illius Provinciæ Hugonis curæ
committebant, ut testatum facit vitæ e-
jus Scriptor, & addit; S. Præsulem tam
singularem gratiam justum ab injusto di-
scernendi a Deo accepisse, ut Juriscon-
sulti peritissimi faterentur, mortalium
nullum se novisse, qui causas perplexas
Hugone solertius definiisset, etsi Juris-
prudentiæ non studuisset. Quibus bo-
na erat causa, gaudebant, se Hugonem
nactos fuisse judicem, quem virum scie-
bant maxime sedulum, atque nec minis
nec donis flexibilem.

Richardus Rex post suum in An-
gliam reditum in Normanniam traje-
cit, bellumque Philippo Regi intulit, qui
in ejus ditones irruerat. Quia vero
ad faciendos in exercitum sumtus auro
indigebat, Archiepiscopum (nisi conje-
ctura me fallit, Cantuariensem) in An-
gliam missum, ab Episcopis ceterisque
Præsulibus subsidia petere jussit. S. Hu-
go, re mature pensata, intelligens fore,
ut gravissimum onus in inopem populum
denique devolveretur, respondit, nun-
quam se huic proposito assensurum. A-
lius quoque ex Episcopis, cum Hugonem
argumenta prolixius explicantem au-
scultasset, in ejus concessit sententiam.
Hæc audacia minime probabatur Archi-
episcopo, qui celeriter ad Regem rever-

Sæcul. XII.
A.C. 1195.

vit. c. 23.
ap. Sur.
17. Nov.

c. 18.

Sæcul. XII.
A.C. 1195.

sus querelas retulit. Is iracundiæ impetu abreptus, & ad purpuratorum proximum conversus, *si me amas*, inquit, *si saluum me, si vivum cupis, ito, & Hugonem alterumque Episcopum, perfidia socium, perde!*

Ergo Episcopus ille de Sede sua pellitur, bona omnia arario Principis adduntur, & ipse e regno proscriptus aliquamdiu exulare cogitur. Tandem vero amicorum precibus datum, ut ei liceret ad Regis genua accidere, clementiam implorare, adjecto promisso, quod nunquam posthac ejus voluntati repugnaturus esset.

6. 23.

At cum armati venissent, eadem crudelitate Episcopum Lincolnensem habituri, ille, rebus adhuc integris, eos omnes in vicinis Ecclesiis pulsatis campanis excommunicatos denunciari iussit. Quare, viri intrepidi fortitudine territi, negotio infecto, recesserunt. Quippe Censuræ a S. Hugone latæ omnibus terrorem ingentem incutiebant, quod eas sæpe mors subita & horrenda sequeretur, quod ab ipso excommunicatos Diabolus occuparet, aut alia signa Divinæ vindictæ manifesta comitarentur. Verumtamen Hugo, veritus, ne ipse Regis iram & calamitatem in gregem suum provocasse videretur, longam profectio-
nem exorsus, non sine gravi periculo, ad
eum

6. 10.

eum se contulit. Cum arci immineret, in qua Rex versabatur, obviam procedentes viri probi & prudentes suadebant, ut recederet, & conspectum Regis offensi haud subire auderet, ne, si interficeretur, mors ejus, ut olim S. Thomæ Martyrium, calamitates atrocissimas a Deo vindice Angliæ Regno conciliaret. Sed his monitis non acquievit Hugo, atque cuidam amicorum promittenti, se Regi locuturum, ne Præsul de vita periclitaretur, respondit: *Quid vis? hominem tam ignavum me putas, ut me abscondam, teque liberosque tuos in periculum mittam?* Mox regiam intrat, & ex ministris audiens, Regem Sacerdoti Sacris operanti adesse, Oratorium ingressus, ejusque lateri admotus ingenti fiducia ait: *Da mihi osculum.* Ac Rege respondente: *Id de me baud es meritis,* reposuit: *meritus sum, quia longum iter emensus ad te veni. Osculum mihi debes.* Cumque simul arrepto Regis pallio cunctantem ad se traheret, ille subridens demissa cervice Præsulem osculatus est.

Episcopi ceterique præsentis, cum cernerent Hugonis de Rege victoriam, obstupescabant. Rex quoque fortitudinem animi demirabatur, ac pietatem viri, qui ut liberius oraret, relicto loco Episcopis destinato, prope altare se receperat.

Sæcul. XII.
A.C. 1195.

S. Hugo Lincolniensis.

ceperat. Ergo eum sincere veneratus, ubi instrumentum Pacis sibi a Clericis oblatum est, iussit illud prius ad Episcopum Lincolniensem deferri. Credidere plerique insignem postea de hostibus reportatam a Rege victoriam, exhibiti Sancto Episcopo honoris præmium fuisse. Completa Missa Hugo Regem post Altare deductum, ut sine spectatore colloquerentur, cum confedissent, ita affatus est: *Fatere, quis conscientia tua status sit. Ego enim Episcopus sum, tu vero filius meus diæcesanus, de quo in Dei Iudicio rationem reddam.* Respondit Rex: *Nihil adeo, quod occurrat, conscientia mihi objicit, nisi quod iracundia & vindictæ cupiditas contra Regni mei hostes me torqueat. Itane vero?* reposuit Hugo, voce ad severitatem composita, *an negare potes, quod continuo pauperes opprimas? quod innocentes affligas? quod populos tibi subditos exactionibus vexes. Præterea fidem conjugalem violasse diceris. An levia tibi videntur hæc errata?* Ad hæc Episcopi verba Richardus expavit, & obmutuit. Ac postquam eum Præsul aliquamdiu gravi oratione corripuisset, de quibusdam modeste se excusavit, de aliis veniam petiit, promittens emendationem. Hugo deinde, præsentem toto conventu, Regi exposuit, quod, cum esset

esset Pastor, æquo animo ferre non pos- Sæcul. XII.
set, oves suas enormi exactione obrui. A.C. 1195.

Acquievit Rex, beneficii loco accipiens, quod zelosissimus Episcopus ultra verba non processisset. Postquam discessit, ad suos conversus Rex, *si omnes Episcopi tales essent, inquit, nec Regum, nec Principum potestas in eos valeret.*

Ceterum S. Episcopus Archidiaconis suis, aliisque Prælatiſ districte prohibuit, ne a peccatoribus multas pecuniarias exigent. Tum respondentibus, improbos multo magis pecuniæ suæ iactura, quam excommunicationis ignominia moveri, opposuit: *Vestra hæc culpa accidunt, qui non curatis, an pœnitentiam sibi injunctam impleant, solum de pecuniis, quas se daturos promiserunt, solliciti.* Tum cum exemplum S. Thomæ Cantuariensis, id facientis, afferrent, respondit: *Credite mihi, plane non ideo, quia hoc fecit, Thomas in Sanctorum numerum relatus est, nec ideo Sanctus fuit.* Præterea Hugo omnes prætextus, sub specie æquitatis ab Antecessoribus suis excogitatos, ad pensiones a Fidelibus exigendas abolevit. Mos ante aliquot annos inventus fuerat, quo Episcopi Lincolnenses singulis annis amiculum, martis Scythicæ pellicula ornatum, Regi eo pacto donabant, ut pretium a populo repeterent, & si collectæ pecuniæ pars aliqua superesset,

c. 16.

Rog. p. 758.

Sæcul. XII. eam sibi tanquam industriæ mercedem
 A.C. 1195. fervarent; sed Hugo, mille argenti
 marcis Regi datis, Diocesim suam in per-
 petuum ab hac servitute liberavit.

Rog. p. 712. S. Episcopus, anno millesimo centesi-
 mo nonagesimo primo Domo Religio-
 sas suæ Diocesis lustrans, in Abbatiam
 Virginum de *Godestove* venit, cumque
 ad orandum Ecclesiam intrasset, atque
 in Choro ante Altare tumulum e-
 ditissimum, velamentis sericis stratum,
 lampadibus & cereis circumdatum vi-
 disse, quæsit, cujus corpus hic sepul-
 tum esset? respondentibus Monialibus,
 esse sepulchrum Rosimundæ, Regis Hen-
 ricæ II. amicæ, cujus amore Princeps ille
 multa beneficia huic Ecclesiæ contulis-
 set, Episcopus ait: *Prostibulum fuit.*
Effodite, auferte eam hinc, & extra Ec-
clesiam inter alias feminas sepelite, ne
Religio Christiana risui exponatur &
vilescat, sicque exemplo isto discant mu-
lieres lasciviam & adulterium fugere.
 Sacræ Virgines Episcopo obsequentes,
 quod præceperat, executæ sunt.

§. XLVII.

Pœnitentia Duci Austriæ injuncta.

Cœlestinus Papa Leopoldum Austriæ
 Ducem fulmine Vaticano percussit,
 quod Richardum Regem Angliæ
 cepisset, Crucigerum, sub tutela Sacræ
 Sedis positum, quod ingens redemptionis
 pretium

pretium exegisset, & dum solveretur, Sæcul. XII.
 obsides imperasset. Duce satisfacturum A.C. 1195.
 se promittente, scripsit Papa Episcopo
 Veronensi Legato suo in hunc modum:
Præcipimus tibi, ut juramentum Ducis Rad. de Dic.
Austriæ recipias, quod mandatis nostris p. 675.
simpliciter obedire velit. Tunc vero in-
junges, ut omnes, quos detinet pro Rege
Angliæ obsides, liberos dimittat, pactis,
quibus Regem obstrinxit, renunciaret, quan-
tum lytri nomine accepit restituat, pro
illata injuria & damno plene satisfaciat.
His conditionibus Ducem suosque a Cen-
sura absolves, & Interdictum, quo Di-
tiones ejus ligantur, tolles. Eos præterea
in terram sanctam proficisci, ibidemque
tanto tempore pro Jesu Christo militare,
quanto Rex Angliæ in carcere fuit, ju-
bebis. Si præscripta perficere detrectent,
omnes pristino excommunicationis vinculo
illigabis. Hæc Epistola die sexta Junii
 anno millesimo centesimo nonagesimo
 quarto data.

Maluit Dux Austriæ ab excommuni- Rog. p. 748.
 catione non absolvi, quam imperata fa-
 cere. Quod omnium malorum, quæ
 infelicem Principem hoc anno oppres-
 serunt, causam extitisse permultis per-
 suasum. Omnes Ducatus urbes flam-
 mis vastatæ sunt, cunctis incendiis
 originem ignorantibus. Danubius in-
 tumescens ripis superatis non nullas ci-

Sæcul. XII. vitates inundavit, & plus quam decem
 A.C. 1195. hominum millia fluctibus hausta interie-
 runt. Illa æstate exaruerunt arva, her-
 bas & olera vermes, quasi in perniciem
 Austriæ tunc primum nati, consumse-
 runt, Nobilium præcipui tabida lue ex-
 tincti. Verum calamitates, etsi essent
 extremæ, Ducem ad alia consilia arri-
 pienda non permoverunt; sed præfra-
 cte addito jurejurando affirmavit, nihil
 certius fore, quam ut obsides, pro Re-
 ge Angliæ sibi dati, jugularentur, nisi
 ille sine cunctatione quæcunque promi-
 serat impletet. Ecce vero, cum Dux
 eodem anno millesimo centesimo nona-
 gesimo quarto, die post Natalem Domi-
 ni, nempe in Festo S. Stephani, e domo
 exiisset, equus infelici casu corruens Do-
 mini insidentis crus contrivit. Nullum
 supererat ad salutem remedium, quam
 pedem crudeli sed necessaria industria
 amputare, ne pars emortua & sanie ar-
 dens totum corpus corrumperet. Quia
 vero manum operi admoveere nullus
 Chirurgorum audebat, ipse Dux, quo-
 dam Cubiculariorum suorum operam
 commodante, pedem a corpore avulsit,
 tam infeliciter, ut omnes de vita Prin-
 cipis desperarent. Itaque Episcopis &
 Optimatibus, qui ad celebrandam Chri-
 sti Domini Nativitatem advenerant, con-
 vocatis, petiit, ut Sacerdotes ipsum a
 Cen-

Censuris, quas Papa in eum pronuncia-
 verat, absolverent. Responderunt Cle-
 rici omnes, ipsum absolvi non posse, nisi
 jurejurando promitteret, quod in causa,
 de qua agebatur, se judicio Ecclesiæ sub-
 jecturus esset, & nisi Optimates Austria-
 ci pariter juramento se obstringerent,
 quod, si morte abriperetur, ipsi nomine
 defuncti Principis, quæ promississet, im-
 pleturi essent.

His conditionibus absolutus ab ex-
 communicatione Leopoldus obsides Re-
 gi Angliæ reddi jussit, & pecuniam, quam
 debebat, restituit. Quibus peractis e-
 vita decessit. Tum Duce ejus succes-
 sore & non nullis Optimatum ultima
 defuncti mandata perficere recusantibus,
 Clerici funus sepulturæ dari non per-
 miserunt; unde per octiduum corpus
 insepultum mansit, donec cuncti obsi-
 des libertatem recuperassent. Quin e-
 tiam quatuor millia marcarum argenti
 eis oblata sunt, quam pretii partem, pro
 Regis libertate datam, in Angliam re-
 veherent. Sed ea, itineris pericula ani-
 mo præcipientes, accipere ausi non sunt.

§. XLVIII.

*Monachus, Patriarcha Hierosoly-
 mitanus.*

Heraclio in obsidione urbis Acriæ an-
 no millesimo centesimo nonagesimo

*Papeb. to. 14.
 p. 51.
 pri. Rigord. p. 37.*

Sæcul. XII. primo mortuo, titulus Patriarchæ Lati-
 A.C. 1195. ni Hierosolymitani collatus est Sulpitio,
 qui eum non ultra annos tres gessit (*).

Anno autem millesimo centesimo nonagesimo quarto, Sulpitio per electionem subrogatus est Magister Michael, Ecclesiæ Parisiensis Decanus. Titulus Magistri, quæ vox idem significat ac Doctor,

(*) Dixerat Fleurius superius §. XXXIII. Heraclio, quem hic affirmat in obsidione Aciensi anno millesimo centesimo nonagesimo primo occidisse, a Cœlestino III. Papa successum fuisse Albertum Eremitam, Episcopum Bethlehemiticum, cujus mentionem hic nullam facit, sed subrogat Heraclio Sulpitium. Si autem Sulpitius tres annos Patriarchæ Titulo gavisus est, scilicet usque ad annum millesimum centesimum nonagesimum quartum, duos extitisse Patriarchas Hierosolymitanos necesse est, vel Albertum brevissimo tempore isto honore potitum. In Critica Antonii Pagi ad annum millesimum centesimum nonagesimum primum lego: *Quare accurate Interpolator Chronici Aquincinini . . . scribit: Albertus Eremita, Petri Eremitæ, qui Belli Sacri Auctor Urbano II. Pontifici fuit, pronepos, ex Episcopo Bethlehemitano Patriarcha Hierosolymitanus post Heraclium a Cœlestino Papa constituitur . . . Albertum vero fuisse Latinum, ostendit electio ejus facta a Cœlestino Papa, & Cognatio cum Petro Eremita, qui Gallus erat. Sed nec ex istis apparet, quamdiu Albertus Patriarcha Hierosolymitanus fuerit.*

Doctor, & novissimo tempore viluit, il- Sæcul. XII.
 la ætate magno honori ducebatur, ipfis- A.C.1195.
 que Episcopis & Cardinalibus tribueba-
 tur. Ceterum Michael, cognomento
 Corvoniensis, Parisiis scientiarum Pro-
 fessor celeberrimus, primo Canonicus
 & Cancellarius Ecclesiæ Cathedralis fuit,
 tumque Decanus Ecclesiæ Meldensis,
 deinde Laudunensis & tandem Parisien-
 sis. Capitulo autem Laudunensi con-
 querenti, quod sibi tantus vir eripe-
 retur, Stephanus Abbas S. Genovevæ
 & postea Episcopus Tornacensis, datis ad
 eos literis consolatoriis, monebat, unam
 Ecclesiam alteri istud Caritatis commer-
 cium debere, ut viros optimos sibi in-
 vicem communicarent. Michael igitur
 Corvoniensis anno millesimo centesimo
 nonagesimo primo, post obitum Matthæi
 Monmorancii, eligitur, virtute & do-
 ctrina præsertim Theologica clarus.
 Tum Patriarcha Hierosolymitanus vige-
 sima quarta Aprilis anno millesimo cen-
 tesimo nonagesimo quarto nominatus,
 vix elapsis diebus quindecim, a Clericis
 Senonensibus, Rege Philippo, totiusque
 civitatis populo consentiente, Archiepi-
 scopus expetitur. Vacabat nobilissima
 Sedes, Guidone Noviomensi vigesima
 Decembris anno millesimo centesimo
 nonagesimo tertio fatis functo, quam
 deinde Michael annis sex tenuit.

In

Ep. 158. al.
175. Et ibi
nota.

Gall. Chro.
to. 1. p. 635.

Sæcul. XII.

A.C. 1195.

*Hist. trans.**br. S. Ph.**Bol. to. 12.**p. 16.**Gio Villani.**lib. 5. c. 13.*

In Cathedra Patriarchali Hierosolymitana Successor ei datus est quidam patria Florentinus, cui nomen Monaco, id est Monachus, vir Theologiæ, Juris Canonici, & Medicinæ, peritus, a Patriarcha Heraclio Cancellarius constitutus & deinde Archiepiscopus Cæsariensis a Capitulo & ab omnibus Suffraganeis electus. Hierosolyma Saladini armis expugnata, Monachus Florentiam reversus, & annos circiter duos ibi versatus, comperto, quod Christiani Acriam in suam potestatem redegerint, iterum in Palæstinam proficiscitur, ubi paulo post Archiepiscopi, Episcoporum, & Canonorum suffragiis, Rege licentiam concedente, Patriarcha Hierosolymitanus eligitur. Annis exinde novem hæc Dignitate fulsit.

§. XLIX.

*Dositheus Patriarcha Constantinopolitanus.**Sup. Lib.**LXXIII.**§. 61.**Nicet. p. 259.*

Inter hæc Dositheus Patriarcha Græcus Hierosolymitanus Constantinopolim translatus fuerat. Quippe Isaacius Angelus Imperator ab hac Sede anno millesimo centesimo nonagesimo secundo Nicetam *Montanes* amovit, etsi eundem ipse evexisset. Repulit autem invitum, cum nihil haberet, quod ipsi objiceret, nisi

nisi gravem senectutem. Sed revera Sæcul. XII.
virum simplicem esse ac levem tandem A.C. 1195.
intellexerat. Ergo alium suffecit Im-
perator, nempe Leontium Monachum,
postquam publice de solio suo jurejuran-
do affirmasset, hunc virum antea sibi i-
gnotum fuisse, sed eum noctu a Beata
Maria Virgine sibi fuisse ostensum, quæ
etiam viri merita, speciem, & locum,
in quo lateret, indicasset. Sed his omni-
bus non obstantibus, quamvis scilicet
Leontium summis laudibus extulisset,
& tanquam hominem Divinum prædi-
casset, eum tamen ne quidem uno anno
in Cathedra Constantinopolitana seden-
tem pati potuit, sed anno millesimo cen-
tesimo nonagesimo tertio Dositheum,
Hierosolyma vocatum, in eam trans-
tulit.

Verum, non ignarus Isaacius hujus-
modi Translationi Canones repugnare,
Theodorum *Balsamon* Patriarcham Græ-
cum Antiochenum, Constantinopoli re-
sidentem, Jurisconsultum illo ævo peri-
tissimum doloso animo consuluit. Eo
enim ad occultum colloquium vocato,
editis maximi doloris signis, *sortem Ec-
clesiæ, inquit, profecto tristissimam! quod
usque adeo viris, etiam monastici Ordi-
nis, scientia & virtutibus præditis desti-
tuta sit, ut ne unum quidem Patriarchali
fastigio urbis nostræ Constantinopolitanæ
dignum*

p. 260.

Sæcul. XII.
A.C. 1195.

dignum invenire possimus. Subjunxit que: Diu est, quod te, virum Jurisprudentiæ laude clarissimum, tanquam facem splendidissimam super hoc candelabrum imponere cupiam, sed rigor canonum, Translationi Episcoporum adversantium absterret. Si, prout ista scientia instructissimus & in ea versatissimus es, demonstrare, aliisque persuadere valeas, licitam esse banc Translationem, beatum me puto atque quod licet, neutiquam cunctabor perficere. Respondit Theodorus, id plane, si Ecclesiæ utilitas posceret, fieri posse. Atque exinde Episcopi aliquoties convenerunt ad quæstionem de Translatione agitandam, quam rem licitam esse illico censuerunt. Episcoporum sententiam Imperator vulgato Decreto comprobavit; at Dositheus Hierosolyma Constantinopolim translatus est, illuso Theodoro Balsamon, quem Titulo Patriarchæ Antiocheni contentum vivere iussit.

Ceterum translatus est Dositheus anno millesimo centesimo nonagesimo tertio, & quia Constantinopoli versabatur, solemniter ac triumphantis specie Patriarchali solio impositus. Præsules vero decepti, & pudorem non ferentes, quod Canonum sancita violassent, ut virum Episcopatu indignum eveherent, dissimulare non potuerunt, quantum eum

eum contemnerent. Ergo cum secrete sæcul. XII.
 tos conventus cum Clericorum præci- A.C. 1195.
 puis Constantinopoli egissent, Dositheum
 tanquam usurpatorem iniquum e Sede
 sua dejecerunt. Imperator contume-
 liam tam sibi quam clienti suo illatam
 indignatus, eum restitui, & stipantibus
 Pratorianis, qui populi vim prohiberent,
 (omnibus enim ob ambitionem intole-
 rabilis erat) in possessionem postliminio
 induci iussit. Sed tandem tot querelarum V. Pagi
 impatiens cessit, sicque bonus Dositheus an. 1191.
 utraque Sede privatus est, nam Ecclesiæ n. 16.
 Hierosolymitanæ interim alius præfectus Catalog.
 fuerat, Constantinopoli autem pulso Jus. Græc.
 subrogatus est anno millesimo centesimo Ro. p. 303.
 nonagesimo quarto Georgius Xiphilinus
 Thesauro præfectus seu *Sævophilax* ejus-
 dem Ecclesiæ, qui annos tres & menses
 decem sedit.

§. L.

Theodorus Balsamon & ejus Scripta.

Hic ille est Patriarcha Constantino-vers. ini.
 politanus, cui Theodorus Balsamon libri Præf. in
 Commentarium suum in Canones in-Nomo.
 scripsit, qui jam diu hoc opus, & Ex-
 plicationem suam in *Nomocanon* Photii,
 Manuele Comneno Imperatore & Mi-
 chaele *Anchiale* Patriarcha jubentibus,
 scribere cœperat. Ceterum Theodorus
 primo lucem aspexerat Constantinopoli,
Hist. Ecclesiast. Tom. XVIII. Y &

Sæcul. XII. & jam tunc cum libros concinnare ap-
A. C. 1195. petiit, Nomophilax & Chartophilax,
 id est, Legum ac Tabularum S. Sophiæ
 Custos, & Presbyterorum primus in
 Blachernis erat, sed necdum Sacerdotii
 Patriarchalis apicem consecutus. In illa
 ergo Expositione Leges adnotat, quæ
 ipsius ævo vigeant, & quæ abrogatæ
 erant, quod in Basilicas, post mortem
 Photii, quem semper Sanctissimum Pa-
 triarcham appellat, collectas, relatæ
 non fuissent. Ostendit Theodorus, quo
 in loco Basilicarum Leges illæ inveniri
 possint, quas Photius juxta Titulos Co-
 dicis & Digestorum citat. Antinomias
 solvit, & Conciliorum aut Imperato-
 rum Decreta, post Basilicas edita, sub-
 jungit.

Sup. Lib.
LIV. §. 16.

In illum locum Photii, ubi dicit, ur-
 bem Constantinopolim antiquæ Romæ
 privilegiis gaudere, Theodorus, ut ex-
 plicet, quænam ista privilegia sint, Do-
 nationem Constantini tanquam Acta ge-
 nuina prolixè refert. Photius tamen ipse
 de hac Donatione nullam mentionem
 fecit, licet ipsius ætate non esset ignota,
 quod ex Libro Æneæ Episcopi Parisiensis
 contra Græcos dispicimus (*).

Sup. Lib.
L.I. §. 14.

Præ-

(*) Antonius Pagi quoque fundamentum
 hujus argumenti a Balsamone allati in sua Cri-
 tica ad fabellas amandat.

Præterea Theodorus Balsamon in o-
mnes alias Partes Juris Canonici Græco-
rum, videlicet in Canones Apostolorum,
in Canones septem Conciliorum Gene-
ralium, in Concilium Carthaginense,
id est, in Codicem Canonum Ecclesiæ
Africanæ, in quinque Concilia provin-
cialia, in Epistolas Canonicas Patrum,
commentatus est. Plura quoque alia
Theodori Opera de Jure Canonico, ac
quædam Consideratio, seu Responsum,
consulenti se de Dignitate Patriarcharum
datum, ad nos usque pervenerunt.

Sæcul. XII.
A.C. 1195.

v. Cave.
p. 477.

Primum jure antiquitatis locum tri-
buit Patriarchæ Antiocheno; quod S. Evi-
dus a S. Petro ordinatus fuisset. Idque
præsumit, sed non probat. *Haud diu*
post idem Apostolus, inquit, S. Marcum
Alexandriæ, S. Jacobum Hierosolymæ,
& S. Andream in Thracia Episcopos po-
suit. Elapsis exinde trecentis circiter
annis, Constantinus, nuper ad Fidem con-
versus, S. Silvestrum antiquæ Romæ Pa-
pam nominavit, uti nos Ecclesiastica do-
cet Historia.

Jus. Græc.
Rom. lib. 7.
init.

Vel ex his satis exploratum fit, quam
eximie Theodorus in Historia versatus
fuerit, & quam egregie in arte Critica
excelluerit. Nam inferius iterum dicit,
S. Silvestrum primum Romæ Pontificem
exitisse. Inde ita sermonem prosequi-
tur: *Illæ ætate Urbs parva Byzantium*
Y 2 *Epi-*

p. 450.

Sæcul. XII.
A.C. 1195.

Episcopum habebat, Episcopo Perintbi, seu Heracleæ in Tbracia subiectum, sed Imperii Sede ab antiqua Roma Byzantium translata, Metrophanes illa tempestate Episcopus Byzantinus Archiepiscopi Titulum usurpavit. Quare primum Concilium Æcumenicum (nempe juxta ipsum primum Constantinopolitanum) in eam privilegia antiquæ Romæ tanquam in novam Romam contulit. Quod Concilium XVIII. 9. 7. Trullanum confirmavit, cum Sedem Constantinopolitanam nulli, nisi Romana, secundam declaravit, Sedibus Alexandrina, Antiochena, & Hierosolymitana postpositis. Ac proinde maximi istarum Ecclesiarum Episcopi hodieque hoc ordine per totum terrarum orbem honorantur. Nam licet antiquæ Romæ Papa ab Ecclesiis recisus fuerit, id tamen pulcherrimo Ordini per Canones in vecto nocere non debet. Nullibi legimus, qua auctoritate, quo Decreto, Romanus Pontifex ab Ecclesiis Orientis, & earum Communione, si Theodoro fides est, fuerit exclusus. Atque hic mihi primus occurrit testis in Historia Ecclesiastica, primumque argumentum, ex quo Græci Schisma diserte & plane fateri deprehenduntur. Ceterum an dies huic dissertationi apposita fuerit nescimus; sed, Theodoro superflite, capta a Latinis Constantinopolis duras cervices flexit. Idem Scriptor paulo.

p. 446.

paulo post subdit, quod dolor ob Schisma Sæcul. XII.
Romani Papæ conceptus, ejus viscera A. C. 1195.
misere discerpat, atque in dies hujus
Episcopi conversionem expectet.

Tum de Insignibus Patriarcharum p. 444.
differit, de face, quam sibi præferri jube-
bant, de trabea, cui multæ cruces in-
sutæ, ceteroque eorum cultu, singulo-
rum rationem ac significationem mysti- p. 446.
cam referens. Afferit, duorum Patriarcha-
rum, nempe Antiocheni & Hierosolymitani, qui ob Gentilium irruptiones extra
Ecclesias suas degere cogebantur, Digni-
tati vel debitis honoribus nihil decedere.
Dicit, quod Titulus & Dignitas Patriarcha- p. 449.
lis Ecclesiæ Antiochenæ competat, se-
cundum veterem Traditionem, ac con-
suetudinem, quæ Nomen Papæ Episcopis
Romano & Alexandrino, Archiepiscopi
autem Constantinopolitano & Hierosoly-
mitano tribuisset. Injuriam Antioche-
nis inferri, si quis omnes illarum Ecclesia-
rum Episcopos Patriarchas appellaret,
nisi ad indicandum, quod simul omnes
quinque toti Ecclesiæ corpori unius Capi-
tis loco sint, & quinque sensus in unius
hominis capite collectos per similitudi-
nem exhibeant, quippe huic argumento
a pari petito, quod sæpius inculcat, ma-
gnam vim inesse existimat (*).

Y 3

Theo-

(*) Theodorus Balsamon sieht hier einen Theil
der

Sæcul. XII.

A. C. 1195.

p. 451.

p. 452.

Theodorus deinde quæstionem movet, cur Titulus Episcopi Æcumenici Papæ Romano & Patriarchæ Constantinopolitano tribuatur, & dicit: *Quia vero Dæmon amoris proprii Papam a societate ceterorum Patriarcharum avulsit, atque intra angustos Occidentis terminos inclusit, Patriarcha autem Constantinopolitanus nullum Papæ privilegium ambit, & cum subscribit, Titulum Æcumenici non apponit, mitto hanc quæstionem inutilem. Sed illis, qui asserere præsumunt, honores Patriarchales Antiocheno & Hierosolymitano denegandos esse, responderebo, dicunt enim; per Sacros Canones cautum est, ne quidem pro Episcopis habeantur, qui non quæcunque pericula sub-*

der Wahrheit ein; daß die Einigkeit in der wahren christlichen Kirche herrschen müsse, und will solche auf das Ansehen der fünf alten Patriarchen gründen. Allein weil er, wider den Sinn der Heil. Schrift, keinem aus ihnen den Vorzug und höhere Gewalt zueignet, so hält seine Meinung keinen Stich. Die vier Patriarchalkirchen Alexandria, Antiochia, Jerusalem und Constantinopel sind zerfallen, und Rom allein steht noch; so daß die fünf Sinne in einem eines sind. Es können nämlich die Griechen oder Morgenländer so wenig als die Protestanten in Europa die Einigkeit ihrer so vielfältiger von der römischen abgesondeter Kirchen mit einem nur erträglichen Erweis darthun.

subeunt, ut ad Ecclesias suas, a Barba-
 ris occupatas, perveniant, & coronam
 Martyrii consequantur. His igitur op-
 ponit Canonem Concilii Trullani tri-
 gesimum septimum, in quo statuitur,
 Barbarorum incursiones non nocere Epi-
 scopis, si possessionem Ecclesiæ, cujus
 Titulo ordinati sunt, adire nequeant,
 eosque nihilominus valide ordinare,
 ceteraque officia Episcopalia peragere.
 Refert etiam Constitutionem Alexii Com-
 neni anno millesimo nonagesimo tertio
 editam, quæ Episcopis in Partibus non
 solum Jura Episcopalia, sed etiam Ab-
 batias & pensiones annuas conservat.
 Porro illud notatu dignum, quod Græci
 Patriarcham Alexandrinum illis non ad-
 numeraverint, qui ab Infidelibus Ec-
 clesiis suis privati essent, quamvis tota
 Ægyptus sub potestate Musulmannorum
 gemeret, sed solum Patriarchas Antioche-
 num & Hierosolymitanum, quorum ta-
 men Sedes jam integro ferme Sæculo
 Latini tenuerant, nempe multo magis
 quam Arabes vel Turcæ Græcis invisi.
 Inde etiam erui posse videtur, quod toto
 temporis spatio, quo Latini Hierosoly-
 mis imperarunt, Patriarcha hujus civi-
 tatis, Græci Ritus, atque etiam An-
 tiochenus, Constantinopoli resederint.

Sæcul. XII.
 A.C. 1195.

Sup. Lib.
 XL. §. 51.

Sup. Lib.
 LXVI.
 §. 54.



Sæcul. XII.
A.C. 1895.

§. LI.

Alexius Angelus Imperator.

Nicet p. 289 **I**saacius Angelus Imperator, postquam sæpius conjuratorum insidias evasisset, nam sua avaritia & imprudentia hostes sibi conciliaverat, amicorum monita, a fratris sui Alexii machinationibus cavendum esse, in suam perniciem contempsit. At Alexius primum se Imperatorem proclamari, & deinde Isaacio Stagira, in quam urbem confugerat, oculos erui jussit. Tum, ut frater præceperat, in carcerem detruso, tanquam infimæ fortis homini, quotidie paucillum panis & vini, quo mortem arceret, præbatur. Hæc fata fuere Isaacii, die decima Aprilis anno millesimo centesimo nonagesimo quinto depositi, postquam regnasset annos novem & menses sex, & necdum ad annum ætatis quadragesimum pervenisset. Ecclesias ædificavit & Hospitia, sed sumptibus ex populo suo expressis, ac ex aliis Ecclesiis, quas, ut suas exornaret, spoliabat. Alexius cognomento Comnenus dici voluit, quod nomen istud illustrius quam Angelorum esset, ac annis octo imperavit (*).

§. LII.

(*) An diesem Kaiser Isaacius haben wir einen neuen Erweis von der Barbarey der Griechen; denn ohne des rebellischen Volkes Beystande würde
Alexius

§. LII.

Sæcul. XII.
A.C. 1195.

Concilium Eboracense.

Eodem anno Cœlestinus Papa, a Rege *Cœlest. ep. 7.*
Richardo & Angliæ Præsulibus ro-
gatus, potestatem Legati Sacræ Sedis
Y 5 in

Alexius eine solche Grausamkeit an seinem Bruder nicht haben ausüben können.

Ein aufmerksamer Leser dieser Kirchengeschichte, wird sich leicht erinnern, wie oft Constantinopoli- tanische Kaiser in einem Tage auf den Thron ge- sessen, und noch ehe der Abend angekommen, ver- stossen, beschimpfet oder gar zerstimmet und er- mordet worden. Im Decident aber kömmt solche Unmenschlichkeit in keinen Geschichten öfter vor als in den Jahrbüchern von Engeland. Denn die vielfältigen Tragödien, die zu der Zeit der weissen und rothen Rosen gespielt worden, zugeschwiegen, so hat dieses Volk, nachdem es von der römischen Religion abgefallen, noch weit jämmerlicher wider seine Könige gewüthet. Da es den Vater * aus- dem uralten königlichen Geschlechte, seinen recht- mäßigen König gleich als einen verächtlichen Uebel- thäter auf das Schafot geschaffet, und ihm den Kopf öffentlich abschlagen lassen, den Sohn * aber ge- zwungen, seine Sicherheit mit seinen Nachkommen in einem ewigen Elende zu suchen.

* Carolus I.

* Jacobus II.

Nun daß man in Engeland solche Gesinnung noch nicht abgelegt habe, ersehen wir aus gewis- sen Briefen mit dem Titel Cato, von der Frey- heit und dem Glücke eines Volkes wieder auf- gelegt

quam
sisset,
nostes
onita,
s ca.
con-
pera-
o Sta-
culos
erat,
firmæ
panis
abe-
e de-
esimo
quam
x, &
num
Ho-
o ex-
, ut
gno-
no-
rum
LII.
ir ei-
chen;
würde
exius

Secul. XII. in Anglia Huberto, nuper electo Archi-
A.C. 1195. episcopo Cantuariensi, contulit; quod
 ex ejus Epistolis, in Palatio Lateranensi,

gelegt 1756. In der Vorrede schreibet der Verfasser also: Ich weis sehr wohl, daß unsere Nation nicht erhalten werden kann, wo die einmal bey uns festgesetzte Regimentsform abgeschaffet würde. Auf der 10. Seite. Und wiederum auf der 13. Seite: Wir haben einen König der durch die Gesetze dazu gemacht, und durch eben dieselben eingeschränkt ist. Es würde diesem Verfasser schwer fallen zu erweisen, daß eine Regimentsform einer Nation gar so eigen sey, daß es nicht einmal möglich wäre, solche unter einer andern zu erhalten. Das folgende aber klinget noch gefährlicher für einen König. Denn wenn es einmal in eines unhändigen Volkes Macht ist, Richter über den König zu seyn, und es sich etwann einen wahren oder falschen Begriff machte, daß die Regierung die Gesetze überschreite, so stünde es mißlich mit der Sicherheit eines solchen Fürstens. Wenn etwann ein Englischer Admiral * unglücklich ist, und kann die Franzosen, welche eben so viele Schiffe gehabt als er, nicht schlagen, so muß er es mit der Haut entgelten. Wenn auch ein Theil seiner Richter zweifelt, ob er den Tod verdienet, und der andere Theil meineth, er seye unschuldig. Wenn ihn auch sein König, ein huldreicher Herr, sehr wünschte von der Todesstrafe zu erretten, so muß er sich dennoch erschießen lassen wie ein Hund, weil ein unhändig-

* der Bing.

die decima octava Martii, anno Ponti-
 ficatus sui quarto, Salutis humanæ mil-
 lesimo centesimo nonagesimo quinto, da-
 tis discimus. His igitur literis munitus
 Habertus Archiepiscopus, cum Eborac-
 to, in Festo S. Bartholomæi, die Do-
 minica, undecima Junii, venisset, a
 Clericis solemniter obviam procedenti-
 bus exceptus ac in Ecclesiam Cathedra-
 lem deductus fuisset, altera die negotia
 ad Regem spectantia per Vicarios suos,
 erat enim supremus in Anglia Justitiæ
 Præfectus, in prima Sessione pertractari
 iussit, dum ipse Causas Christianæ Re-
 ligionis, id est ad Jurisdictionem Spiri-
 tualem pertinentes, discussit. Feria
 tertia ad Abbatiam S. Mariæ Eboraci per-
 rexit,

Sæcul. XII.
 A.C. 1195.
 Rog. p. 753.
 to. 10. Conc.
 p. 1791.
 Rog. p. 755.
 G. Neubri.
 V. c. 12.

bändiges Volk ihm das Leben abgesprochen. In
 einem römisch-Katholischen Staate wird die könig-
 liche Macht von dem natürlichen und göttlichen
 Rechte, von der Vernunft von den alten Landes-
 Gewohnheiten und Satzungen genug eingeschränkt.
 Ob nun auch ein Monarch in Engeland, den nicht
 die Geburt sondern die Geseze (wie der Verfasser
 des Cato auf der 13. Seite saget) zum König ge-
 macht und eingeschränkt, über ein Volk, welches
 von nichts, als von einer unbestimmten Freyheit
 sowohl in der Religion als in der Beurtheilung
 der Landesregierung denken, reden, und schrei-
 ben will, ohne Gefahr herrschen könne, diese Frage
 zu entscheiden, will ich der Kritik des Lesers
 überlassen.

Sæcul. XII. A C. 1195. rexit, ac pari ritu a Monachis receptus Capitulum intravit; ubi conquerentibus monachis, quod Robertus Abbas eorum ob infirmam valetudinem domui non amplius prodesse posset, frustra reclamantem & ad Dominum Papam appellantem deposuit. Duobus sequentibus diebus scilicet Feria IV. & Feria V. Legatus Concilium in Ecclesia S. Petri Eboraci celebravit, cui nullus alius præter ipsum Episcopus, sed Decanus, Cantor, Archidiaconi, & Cancellarius ejusdem Ecclesiæ, cum quibusdam Canonicis, omnes ferme Abbates, Priores, & Parochi illius Diœcesis interfuisse leguntur. Legatus Synodo præsidens in Cathedra elevata duodecim Canones, qui in alia Editione in paragraphos octodecim dividuntur, servandos constituit.

Primo ea, quæ Sancti Altaris Sacramentum spectant, præscribuntur. Sacerdos sine ministro literato Missam non celebret. Ipse, non alius, Hostiam ad Ægrotos, veste Clericali indutus, lumine præcedente, deferat. Canon Missæ literis majusculis & accurate scriptus sit. Sacerdos Laico ad Pœnitentiam venienti non injungat, ut Missas petat celebrari. Nec pro celebrandis Missis pretio constituto pactum ineat, sed hoc dumtaxat, quod in Missa offertur, recipiat.

c. 1.

c. 2.

piat (*). In Baptismate non plures quam Sæcul. XII,
A.C.1195.
tres suscipiant puerum de sacro fonte, masculum duo mares & una mulier, feminam duæ feminæ & mas unus. Ubi autem puer reperitur expositus sive cum sale, vel sine sale, baptizetur, cum non intelligatur iteratum, quod nescitur fuisse collatum. Non nisi summa & gravi urgente

(*) Studiosus Lector hic advertet, sub finem hujus Sæculi, saltem in Angliâ, ortum traxisse consuetudinem de stipendio Missæ paciscendi, quam Archiepiscopus Cantuariensis, Concilii Præses, Sedis Apostolicæ Legatus, damnam esse existimavit. Ceterum non levis conjecturæ locus est, Reverendissimum Perillustrem ac Amplissimum Dominum Gregorium Abbatem Antiquissimi & celeberrimi Monasterii Tegernseensis, Abbatum in Bavaria Primatem, ac olim Congregationis Bavaricæ SS. Angelorum Custodum O. S. P. Benedicti Præsidentem meritissimum, si Concilio Eboracensi interfuisset, suo Suffragio Decretum de non accipiendo Missæ stipendio, si pactum intercedat, fuisse confirmaturum; quippe in Elogio & Epistola funebri Præsulis hujus, in S. Ordine nostro clarissimi, hisce diebus anno millesimo septingentesimo sexagesimo secundo ex pio fœdere ad nos missa, hæc verba leguntur: *Quare nihil dicemus de Præsulis hujus piissimi paupertate, quæ tanta fuit, ut intra annos quinquaginta, quibus ad aram stetit, nullum unquam Missæ stipendium acceptarit, aut ut acceptaret, persuaderi potuerit.*

Sæcul. XII. gente necessitate Diaconus baptizet, vel
A.C. 1195. Corpus Christi cuiquam eroget, vel

poenitentiam confitenti imponat. Ergo illa adhuc ætate ea Diaconus peragere posse credebatur. Si Titulares Ecclesiæ fabricam negligant, aut cultui sacro non provideant, jussu Legati ex redditibus Ecclesiæ omnia perficiantur. In causis Ecclesiasticis Justitia gratis exhibeatur.

c. 7. Decimæ, quæ in hoc Canone Juris divini esse dicuntur, antequam Messoribus laboris merces tribuatur, accipiuntur.

c. 8. Monachi & Canonici Regulares redditus nullos locationis more habeant, non peregrinentur, nec extra Monasteria sine certa causa & sine sociis proficiantur. Moniales sine societate Abbatissæ vel

c. 9. Priorissæ non egrediantur. Falsi testes ter in anno excommunicentur, & singulis

c. 11. Dominicis excommunicati denuncientur. Si poenitentia subeat, ad Episcopum, vel ipso absente ad Confessorem Diocesis generalem, a quo poenitentiam accipiant, transmittantur. Hunc Confessorem, de quo sermo, Presbyterum fuisse arbitror, quem hodie Poenitentiarium dicere solemus. Clerici concubinarij publici, primo infamia notentur, tum ab Officiis suis suspendantur, & Beneficiorum suorum fructibus priventur. Si solum incontinentiæ suspecti sint, secreto & publice prius admonitis

c. 12. in-

injungatur purgatio canonica; sed non plures quam duodecim viri ad jurandum cum ipso compellantur. Hæc sunt Concilii Eboracensis Decreta.

Sæcul. XII.
A.C. 1195.

§. LIII.

Godofridus Archiepiscopus Eboracensis.

Inter hæc Godofridi Archiepiscopi Eboracensis Adversarii Romæ in conspectu Pontificis, die ab Episcopo Lincolnensi præstituta, nempe prima Junii hujus anni millesimi centesimi nonagesimi quinti præsto fuerunt, Actionem contra hunc Præsulem profecuturi. Sed aberat Godofridus, cujus Clerici ab ipso Romam missi, absentia causam exposuerunt; mandatum accepisse a fratre Rege, ne Romam iret, & insalubrem Urbis aerem adulta ætate pertimuisse. Ita obtinuerunt, ut omnia illa, quæ, postquam ad Papam appellasset, contra Archiepiscopum acta fuerant, nulla declararentur; diemque, qua Romam veniret, Papa infra Octavam S. Martini præstituit. Cumque nec tunc quidem obtemperasset, Canonici Eboracenses, causæ suæ intenti, S. Hugonem Lincolnensem urgebant, ad sententiam Interdicti & Suspensionis in refractarium ferendam, quibus S. Præsul respondit; malle se ipsum Suspensioni sub-

Rog. p. 751.

p. 759

Sæcul. XII. subiacere, quam Censuris Ecclesiasticis
 A. C. 1195. in Archiepiscopum animadvertere. Ca-

p. 760.

ep. 13. to. 10.
 Conc.
 ep. 1786.

nonici missis Romam ad Cœlestinum Pa-
 pam nunciis, queruntur, Episcopum,
 ceterosque ab ipso delegatos, Sacræ Se-
 dis mandata non exequi. Quare Papa,
 Canonicis instantibus, postquam ultra
 mensem post præscriptum tempus ex-
 pectasset, Sententiam in Godefridum
 tulit, qua eum ab usu Pallii, ab omni
 Ministerio Episcopali, ab administra-
 tione tam spiritualium rerum quam
 temporalium, atque a potestate conse-
 rendi Beneficia Ecclesiæ & Provinciæ
 Eboracensis, suspendit. Episcopo Lin-
 colniensi, aliisque duobus Mandatariis
 præcepit, hanc Suspensionis Censuram
 in tota Diœcesi & Provincia denuncia-
 rent. Prohibuit omnibus & Laicis &
 Clericis, ne Archiepiscopo vel ejus vi-
 cariis in negotiis temporalibus vel spiri-
 tualibus obedirent, donec S. Sedes aliud
 in hac causa decerneret. Simoni De-
 cano Eboracensi, consilium Canonico-
 rum adhibere jusso, Judicium causarum
 Ecclesiasticarum interim commisit, &
 tandem potestatem Mandatariorum suo-
 rum confirmavit. His subjunxit Papa:
*Volumus præterea, ut Excommunicatio-
 nis Censuram, qua Archiepiscopus ligavit
 quosdam Canonicos aliosque, postquam ad
 nos appellavit, tollatis, addita tamen*

Fur-

Formula, quod eos ad majorem cautelam Sæcul. XII.
auctoritate Sacræ Sedis absolvatis. Hic A.C. 1195.

primo Formulam Absolutionis noto, quam Jurisperiti nostri Absolutionem cum *Cautela* vocant. Papa de eadem causa Clericis, populoque provinciæ Eboracensis, ac Simoni Decano scripsit, atque tres epistolæ eadem die vigesima tertia Decembris, anno a partu Virginis millesimo centesimo nonagesimo quinto, datæ leguntur.

Haud multo post quidam Clericus Archiepiscopi Eboracensis, cui nomen *Vigetot*, Romæ morbo correptus, & ad extrema deductus, audiente Cœlestino Papa cunctisque Cardinalibus confessus est, quod de Curia Romana complures epistolas spurias, tum in causa Archiepiscopi, Domini sui, tum in propria scripsisset, easque nuper in Angliam misisset. Quare Papa, missis in Angliam mandatis, Hubertum Archiepiscopum Cantuariensem literas quascunque, in causa Archiepiscopi Eboracensis Justitiæ adversantes, ubicunque posset, interceptere jussit. Et ecce facinus! Londini quidam Clericus deprehensus est cum literis & veneno, quod ad interimendum Simonem Decanum Eboracensem & aliquot Canonicos dilutum habebat. Veneficium publice flammis traditum, & scœdissimi flagitii minister carceri inclusus

Hist. Eccles. Tom. XVIII.

Z sus

Sæcul XII. A.C. 1195. fus. Hujus quoque criminis Godefridum Archiepiscopum Eboracensem accusarunt.

§. LIV.

Henricus Imperator, Rex Siciliae.

G. Neubr. V. c. 26.

Ad Festum S. Andreae, nempe Mense Novembri exeunte, anno millesimo centesimo nonagesimo quinto, Henricus Imperator Wormatiæ in Ecclesia Cathedrali, Episcopis Principibusque præsentibus, integro octiduo Comitia celebravit, quibus interfuit Cardinalis Gregorius, Cœlestini Papæ Legatus, ad prædicandum bellum sacrum missus. Cumque etiam alii, quibus major eloquentiæ vis erat, singulis diebus de eodem argumento ad populum feliciter dixissent, permulti Præsules, Principes, aliique viri, fortitudinis laude insignes, sacræ militiæ nomen dederunt. Imperatorem vero, Crucem accipere volentem monebant amici, plus profuturum peregrinantibus, si in Regia sua maneret, curaretque, ne proficiscentibus comitatus, & militum supplementa deessent. Ita in Germania & Italia magnæ molis expeditio in Palæstinam parabatur.

*Arnold. Lu-
bec. V. c. 1.*

Imperator, missis in Apuliam nunciis, Conradum Episcopum Herbipolensem, Cancellarium suum, cui negotia Imperii in illa provincia commissa erant, curare jussit,

jussit, ut anno sequenti omnia peregrinanti-
 bus necessaria, pecunia, annona, naves in
 promptu essent. Tum ut propinquior
 esset, ipse in Apuliam profectus est; sed
 bellum, quod in propria causa gerendum
 emerit, Henrici animum a Crucigerorum
 expeditione avertit.

Tancredo Regi Siciliae sub finem anni
 millesimi centesimi nonagesimi tertii
 Rogerium filium suum primogenitum, cui
 coronam imponi jusserat, mors eripuit.
 Quare parens Guilielmum quidem alterum
 filium coronari jussit; sed amissu natu
 majoris dolore afflictus, antequam men-
 sis Majus iniret, anno millesimo centesimo
 nonagesimo quarto occubuit, relinquens
 Successorem Guilielmum III. necdum in-
 fantiam egressum. Henricus Imperator,
 qui Tancredum pro Regni sui praedone
 semper habuerat, eadem aetate in Apu-
 liam movit, unde in Siciliam delatus,
 Regem se proclamari jubet, atque Pa-
 normi die Dominica, vigesima tertia die
 Octobris coronatur. Hic Regni Nor-
 manorum in Sicilia finis fuit, anno, ex
 quo Comes Rogerius has provincias ex-
 pugnaverat, centesimo, ex quo autem
 Rogerius II. Regis nomen usurpaverat,
 trigesimo quarto. Imperator in Natali
 Domini, anno millesimo centesimo nona-
 gesimo quarto, Comitibus generalibus Pa-
 normi celebratis, Sibillam Regina n,

Sæcul. XII.
 A.C. 1195.

*Chr. Ric. de
 S. Serm.
 an. 1193.*

*V. Pagi.
 1194. n. 5.*

*Rad. Dic.
 p. 678.*

*Sup. Lib.
 LXIV. §. 14.
 LXVIII.
 §. 3.*

*Ricord.
 an. 1194.*

Sæcul. XII.
A.C. 1195.

Jo. de Ceu.
an. 1195.

Tancredi viduam, Guilielmum parvulum ejus filium, compluresque alios tum Episcopos tum Comites, quos proditionis accusabat, custodia tradidit, ac non nullis oculos eruit, alios in ignem coniectos, aut fracta gula suspensos necavit. Ceteros exilio damnatos migrare in Germaniam jussit. Quo etiam ipse reversus anno sequente millesimo centesimo nonagesimo quinto Sibillam ejusque filium abstractos, & hunc quidem utroque lumine privatum, perpetuo carceri addixit.

§. LV.

Bellum sacrum promulgatur.

v. MS.

Nihil magis Cœlestinum Papam ad prædicandam expeditionem sacram movebat, quam allatum ex Asia nuncium, de obitu Saladini, qui decima tertia die Martii anno millesimo centesimo nonagesimo tertio Damasci fato concesserat. Ubi de hoc Principe, iisque quæ ipsius ætate in Oriente gesta sunt, mihi sermo fuit, complura facta retuli, quæ in Scriptoribus nostris Latinis non leguntur, testemque adduxi vitam ejus manuscriptam, ante aliquot annos a Domino Abbate *Renaudot*, compositam, quam ipse ex authographis plerumque Arabicis & ineditis, atque ex Saladini vita, ab *Hamat*, qui Soldano ab Episto-

lis

lis erat, concinnata excerptit. Domi-
no Abbati necdum visum, Opus suum
memorable typis vulgare; sed illud ta-
men mihi, veteri amico suo, amore u-
tilitatis publicæ communicavit. Post-
quam ergo in Italia compertum fuit, Sa-
ladinum extinctum, filiosque defuncti &
patrum de regno rixari, omnibus faci-
le persuasum, utendum esse occasione,
forte nunquam reditura, qua Hieroso-
lyma ceteræque Palæstinæ urbes armis
Christianorum recuperarentur.

Sæcul. XII.
A.C. 1195.

Rog. p. 727.
Auct. Aquin-
cint. an.
1193.

Eo consilio Papa duos Cardinales in
Franciam misit, ubi ingens Crucigero-
rum numerus confluit. Conjicere de-
bemus, Pontificem ad aliorum quoque
Regnorum Episcopos hujusmodi literas
dedisse, quales Huberto Cantuariensi &
Episcopis Angliæ scripsit, jubens eos
bellum Palæstinæ prædicare, & adjuncta
privilegia, Indulgentias, ac Sacræ Sedis
præsidium promittere, Regemque hor-
tari, ut subditis suis proficiscendi licen-
tiam daret. Tum Archiepiscopo Can-
tuariensi, Papam monenti, quod multi
Crucigeri edito voto non satisfacerent,
etsi possent, alii vero non possent, pau-
pertate, morbo, aut aliis obstaculis im-
pediti, præcepit; illos, qui possent, ad-
hibitis Censuris Ecclesiasticis ad solven-
dum votum compelleret. *Aliis vero, Ep. 14. ex*
subjungit Pontifex, *quos paupertas vel*
Rog. p. 784.

Ann. Godef.
mon. 1195.

Z 3

vale-

Sæcul. XII. *valetudo iter suscipere prohibet, licen-*
 A.C. 1195. *tiam manendi tribues, injuncta congrua*
pœnitentia, ea tamen conditione, ut
quamprimum possint proficiscantur. Tan-
dem illi, qui ipsi peregrinari simpliciter
nequeunt ob corporis infirmitatem, unum
vel plures milites pro facultatum suarum
modo in Palestinam suis sumtibus mit-
tant, unum vel plures annos, prout expe-
dire tibi visum fuerit, pro Jesu Christi
causa militaturos. Hæc Epistola die
duodecima Januarii anno millesimo cen-
tesimo nonagesimo sexto data est.

§. LVI.

Concilium Montispeffulanense.

Radevic. 7. **I**n Hispania, cum Alphonsus IX. Rex
c. 29. Castiliæ, Martini Archiepiscopi Tole-
v. Pag. an. tani, quem copiis suis præfecerat, secu-
1195. n. 6. tus consilium, Mauris gravissimus immi-
Rig. p. 39. neret, illi ab Emiro *Almumenin*, ceu Fi-
 delium Principe, Jacobo *Almobadum* Du-
 ce, qui Sedem Maroci fixerat, auxilia
 flagitant. Qui exercitu immenso in Hi-
 spaniam trajecto, Christianos inita pu-
 gna ad *Alarcos* haud procul Sierra Mo-
 rena, die decima octava Julii anno salu-
 tis nostræ millesimo centesimo no-
 nagesimo quinto, æræ Hispanæ millesi-
 mo ducentesimo trigesimo tertio, He-
 giraë quingentesimo nonagesimo primo,
Ann. Godef. profligavit. Negabat Alphonsus se tan-
mon. 1195.

tæ cladi superstitem esse aut posse aut velle, sed a suis invitus hostium telis ereptus in Franciam se recepit. Hæc occasio fuisse creditur, quod Cœlestinus Papa Magistrum Michaellem Ecclesiæ Romanæ Notarium cum Legati potestate in Hispaniam miserit.

Sæcul. XII.
A. C. 1195.

Is cum Montempeffulanum divertisset, Concilium cum multis Præsulibus Provinciæ Narbonensis, mense Decembri, eodem anno millesimo centesimo nonagesimo quinto, celebravit, iisque consentientibus Constitutiones sequentes edidit. Pax Dei, seu Induciæ factæ, ut antiqua Decreta præscribunt, serventur. Additque Legatus formulam notatu dignam: Si quis pacem infregerit, quicumque ei Sacramento aut Fide obligatur, absolutus sit.

Innoc. III.
I. ep. 99.
to. 10 Conc.
p. 1796.

Prædones Arragonenses, ac *Mainatæ* eorum, nempe cohortes, omnesque, qui eis vel præsidium vel subsidium præstant, anathemate feriuntur. Christianis in Hispaniam contra Infideles moturis confertur privilegium, quod ipsi & eorum Fidejussores ab onere dandi usuras, quas promiserunt, sint liberati, secundum aliquod Gregorii VIII. Papæ Decretum, Crucigeris Hierosolymitanis favens. Quin etiam usuras jam redditas possunt repetere.

Sup. Lib.
LXXII.
c. 7.

Sæcul. XII.
A.C. 1195.

Omnes sine armis iter facientes, imprimis pie peregrinantes, congrua securitate lærentur. Judæi, aliive Infideles conversi, tam ipsi quam bona eorum, sub tutela Ecclesiæ sint. Clerici modeste vestiti incedant, & parce mensas instruant, ut iratus Deus placetur; *Isto rei Christianæ tempore, inquit Patres, quo Saraceni Terræ Sanctæ dominantur, & Hispaniam solito acrius infestant.*

Excommunicationis sententia in illos lata, qui, Raimundo Episcopo Lutevensi capto, redemptionis pretium statuerant, confirmatur. Quia vero Hæretici, nempe Albigenses, in variis provinciæ locis grassabantur, arbitrio & prudentiæ Episcoporum relinquitur, quando & quo modo Interdicti Censura adhibenda sit, ne, si Interdicta sint generalia & longi temporis, Hæretici illi simplices Fidelium animos pervertendi occasionem nanciscantur. Nempe paulatim intelligebant Episcopi, Interdicta illa, sanctæ antiquitati ignota, Fidelibus nocere, cum populus, veræ Religionis usu privatus, exponeretur periculo, ne ad falsam pertraheretur.

§. LVII.

Philippus ad alias nuptias convertitur.

Rigord. p. 37 Inter hæc Cœlestinus Papa, comperto, quod

quod matrimonium Philippi Regis & Ingeburgis nullum fuisset declaratum, Regis Daniæ sponsæ fratris querelis commotus, Legatos duos, Meliorem Cardinalem Presbyterum, & Cencium Subdiaconum in Franciam misit, qui, ubi Parisios pervenerunt, convocato omnium Episcoporum & Abbatum totius Regni Concilio, de valore hujus matrimonii consultarunt quidem; sed metu libertatem opprimente, hac legatione nihil effectum. Post Legatorum reditum Papa, datis ad Michaellem Archiepiscopum Senonensem literis, conquestus est, quod inconsulta Sacra Sede rem tanti momenti definiissent Episcopi, contra Regulam per Canones præscriptam, & in Ecclesia Gallicana nunquam non servatam, quod Causæ majores ad eam deferendæ sint. Tunc, Lotharii & Theutbergæ matrimonio in exemplum adducto, prosequitur Pontifex: *Philippum Regem per Cencium Subdiaconum & Epistolâ nostras hortati sumus, ut Principi Regiæ, conjugii suæ, affectum maritalem exhiberet, & improborum consilia rejiceret, sed meus ille Legatus haud sane tanto, quanto par fuisset, obsequio exceptus est. Quare, secundum Acta publica de genere & affinitate Ingeburgis, Regibus ortæ, ab Archiepiscopo Lundensi ejusque Suffraganeis ad nos transmissa,*

Sæcul. XII.
A.C. 1196.

a. Rad. Dic.
p. 681.

Sup. Lib. I
s. 6.

Z 5 missa,

Sæcul. XII.
A.C. 1196.

missa, & communem omnium opinionem, abrogamus, & ex Fratrum nostrorum consilio irritam pronunciamus illam divortii sententiam, contra formam Juris latam, vobisque injungimus & districte præcipimus, ut si Rex, viva conjuge hac sua, aliam tori consortem mulierem admittere vellet, nefarium opus nostro nomine & auctoritate prohibeatis. Huic Epistolæ dies decima tertia Martii anno millesimo centesimo nonagesimo sexto apposita est. Verum his omnibus nequicquam obstantibus Philippus Rex eodem anno, mense Junio, Mariam Ducis Moraviæ & Bohemiæ filiam duxit. Ingeburgis quidem querelas ad Papam detulit, in qua dicit; triennium jam effluxisse, ex quo Philippus se uxorem legitimam accepisset, jamque a marito in munita arce captivam teneri. Sed Cælestinus nihil ultra de hac causa movit, sive a priore proposito & sententia dimotus fuerit, sive gravis senectus, & temporis, quo supervixit, brevitatis, majore vigore agere Pontificem non permiserint.

*Rigord. p. 40
Gest. Inn. III
n. 50. Ap.
Balaz. I.
Miscell. p.
422.*

§. LVIII.

*Mauritii obitus. Odo Sulliacensis
Episcopus Parisiensis.*

Rigord. p. 40 Eodem anno, octava die Septembris, Mauritius Episcopus Parisiensis obdormi-

dormivit in Domino, postquam hanc Se-
dem annos triginta sex tenuisset. Fuit is
Pater pauperum, ac præter alia, quæ
peregit caritatis & pietatis opera, Ab-
batiarum quatuor nempe pro Canonicis
Regularibus Herivallensis* & Herma-
riensis**, pro Virginibus Olbiensis***
& Gifanensis**** Conditor. Cuncta,
quæ habebat, latifundia pauperibus le-
gavit. Et quoniam non nesciebat, quos-
dam sua ætate viros doctos de Resurre-
ctione corporum dubitare, in volumine
celebratissimum illum Jobi locum scribi
iussit: *Scio quod Redemptor meus vivit,*
& in novissimo die de terra surrecturus
sum, & reliqua. Moriens deinde præ-
cepit, hoc volumen apertum super pe-
ctus suum poni, ut omnes viri literati,
ad celebrandas ejus exequias venturi, in
Fide Resurrectionis confirmarentur. Se-
pulchrum vero in Ecclesia S. Victoris
& medio Choro nactus est.

Mauritii Successor in Sede Parisiensi
fuit Odo, Archambaldi filius, Sulliaci
Dominus, Henrici Archiepiscopi Bituri-
censis frater. Petrus Blesensis, qui tunc
in Anglia versabatur, rogatus ab Abba-
te Glocestriensi, adjuncta hujus Electio-
nis scire cupiente, literas ad eum exara-
vit in hunc modum: *Mauritio fati-*
functo, Canonicis Cathedralibus Parisien-
sibus de Successore eligendo deliberanti-
bus,

Sæcul. XII.

A.C. 1196.

Sup. lib.

LXX. §. 33.

* Herivaux.

** Hermieres.

*** Illiere.

**** Gif.

Job. 19. 25.

ep. 126.

Sæcul. XII. *bus, non nulli senes aderant, qui pecunias*
 A.C. 1196. *multis annis congefferant, eo consilio, ut*
 si aliquando Sedes vacaret, ad explendam
 ambitionem eas impenderent. Hi per
 subornatos homines cupiditatem Episco-
 patum consequendi pudendam prodebant;
 at Pars sanior, elusis paucorum artibus,
 Odonem Cantoribus Bituricensibus præ-
 fectum una voce elegit. Vidi Odonem
 Parisiis, cum juvenis scientiis operam
 daret, & tenero amore profecutus sum,
 quem magis gratia & unctio Cælestis,
 quam Magistrorum suorum industria in-
 formabat. Ejus Præceptor, discipulus
 meus, sæpe referebat, quam solícite quam
 religiose, quam secreto, necdum pueri-
 tiam egressus, operibus pietatis, præcipue
 eleemosynas largiendo, animum exerceret.
 Postquam ad annos pubertatis pervenit,
 Romam profectus est illo tempore, quo
 Urbano defuncto Gregorius VIII. Papa
 successit. Tunc ego quoque Romæ com-
 morans magno lætitiæ sensu conspexi,
 Summum Pontificem & Cardinales Odo-
 ni honorem haud multo minorem, quam
 Episcopis solebant, exhibere. Cum a pri-
 ma ætate castitatem cautissime servasset,
 succedente juventutis vigore, carnis in-
 solentiam vigiliis, jejuniis, & flagellis,
 quibus in se ipsum sæviebat, domabat.
 Pingues redditus, quibus in Anglia potie-
 batur, in pauperes distribuit, tres studio-
 sos

Sup. lib.
 LXXIII.
 §. 58.

fos adolescentes pauperes, sed sedulos & Sæcul. XII.
 virtutis amantes, suis opibus alebat. Ex A.C.1197.
 quo ad Episcopatus fastigium evectus est,
 boni Pastoris officiis assidue incumbere
 dicitur ab omnibus. Ceterum Odo Ar- v.not. p.745.
 obi episcopum Bituricensem fratrem habet,
 ex illustrissimo Principum stemmate or-
 tus, atque hinc Regi Angliæ & inde,
 quin etiam propius, Regi Franciæ af-
 finis.

§. LIX.

Quæstio de Eucharistia.

Anno sequente millesimo centesimo
 nonagesimo septimo obiit Petrus
 Cantor, Doctor scientia & virtutibus
 clarissimus. Is Cantorum Ecclesiæ Pa- *Nang. Chr.*
 risiensis Magister fuit, unde cognomen- *an. Alberic.*
 tum hæsit, sed ultimo vitæ suæ anno in *Chr. 1197.*
 Abbatiam Longi pontis, Ordinis Cister- *Jaco. Vit.*
 ciensis, Diocesis Sueffionensis, se rece- *hist. occid.*
 pit, ubi antequam Tyrocinii annum im- *c. 8.*
 plessset, vitam finiit. Complura poste-
 ris reliquit scripta, quorum synopsis so-
 lum typis vulgata fuit. Quamvis vero
 inter ævi sui Doctores palmam nulli
 concederet, opinio tamen Theologica
 ipsius de Eucharistia rejecta est. Quip-
 pe credebat, consecrationem utriusque
 speciei esse indivisibilem, & panem non
 ante converti in Jesu Christi Corpus,
 quam

Sæcul. XII. A. C. 1197. quam post consecrationem vini. Unde sequebatur, si Presbyter, consecrato pane, subito mortuus fuisset, nihil fuisse confectum, & si, consecrato calice, notasset, non vinum sed aquam inesse, omnia repetenda, & utramque speciem consecrandam esse.

Dist. 9. c. 27. Hanc opinionem Cæsarius Heisterbacensis, monachus Cisterciensis, Scriptor coævus, Petro Cantori, ejusque sectatoribus tribuit, sed addit; secundum Doctrinam Ordinis sui, quemlibet teneri credere, quod unaquæque species separatim consecretur. *Si enim contingat*, ait, *post Benedictionem panis, vinum in calice non esse, non consecrationem panis sed solummodo vini repetimus.* Huic quæstioni locus non fuisset, si jam illa ætate mos adorandi & elevandi Hostiam, priusquam Calix consecretur, invecus fuisset. Nec etiam huc usque ullum Ritus hujus vestigium in Historia mihi occurrit; non enim, ut arbitror, a vero aberraret, qui crederet, eam consuetudinem adorandi Hostiam elevatam ideo fuisse introductam, ne quis in posterum de conversione panis in Corpus Domini Nostri, ante Benedictionem vini, dubitaret. Verumtamen Jacobus Vitriacus, qui anno salutis millesimo ducentesimo quadragesimo quarto ex hoc sæculo abiit, de hac re

Hist. Occid.
c. ult. p. 444.
edit. 1596.

re tanquam de more in Ecclesia stabili- Sæcul. XII.
to loquitur (*). A.C. 1197.

§. LX.

(*) Similem ferme Quæstionem de Consecratione Evcharistiæ refert Antonius Pagi in Critica pag. 704. ex qua sequitur, Fideles, saltem aliquos, non solum credidisse, panem solum sine vino per Consecrationem in Corpus Christi mutari, sed etiam vinum ex sola commitione panis consecrati in Sanguinem Christi converti. Pagius ita scribit Num XVI. *Arnoldus Abbas lib. 4 cap. 14. narrat quoddam de Evcharistia miraculum suo tempore, id est, hoc Sæculo desinente, accidisse in quadam Thuringiæ puella, quæ cum suscepto a Sacerdote Viatico portiunculam Evcharistiæ in bicarium, in quo Sacerdos data Communionem manus abluerat, decidisse animadvertisset, Et sibi ad bibendum jussisset afferri, totam aquam in sanguinem mutatam deprehendit, Et portiunculam ipsam versam in cruentam carnem. Baronius hoc factum narrato concludit: Hæc de Transsubstantiatione aquæ in Sanguinem Christi per commitionem Christi Corporis divinitus facta: quod semper fieri in vino, cum commistio intercederet, Antiquitas existimavit Sed quod Baronius antiquitati tribuit, ut ibidem animadvertit Mabillonius, non ita accipiendum est, quasi generalis fuerit totius Antiquitatis ea persuasio. Nam præterquam quod in primis octo Sæculis nulla hujusce opinionis apparent vestigia, imo in iis illa conversio non nisi*

Sæcul. XII.
A.C. 1197.

§. LX.

Philippus Episcopus Belvacensis in carcere.

Rog. p. 768.
Gr. Neubr. 5
c. 30.

Sup. Lib.
LXXIII.
§. 7.

Rog. p. 770.
to. 10. Conc.
p. 1775.

Philippus Drocentis, Episcopus Belvacensis, Ludovici Crassi Regis nepos, magis Natalium suorum quam Dignitatis Ecclesiasticæ memor, armis belloque gaudebat. Is mense Majo anno millesimo centesimo nonagesimo sexto, ab Anglis captus est, cum Comes Moretonius cum Brabantinorum Duce latrocigaretur, hos enim usque ad portas Belvacæ urbis grassantes, depulsurus Episcopus, cum viris equestribus & populo armato, exierat. Forte credebat licere sibi armis uti contra Brabantinos, publicos hostes & in Concilio Lateranensi sub Alexandro III. excommunicatos. Ita in Anglorum manus incidit, & carceri inclusus haud plane officiose habitus est. Data igitur ad Cœlestinum Papam

nisi Verbis Christi a Sacerdote prolatis fieri semper & ubique credita est, in subsequentibus Sæculis, quo tempore apud non nullos hæc opinio invalescere cœpit, multi Auctores, iique gravissimi, in contrariam abierunt sententiam; alii vero mediâ via incedentes, rem sub dubio reliquerunt. Inter Auctores Partis negantis quasi Princeps censendus est S. Bernardus &c.

Papam epistola, quam, postquam plu-
res alias antè scripserat, Episcopus Au-
relianensis ipsius frater detulit, quere-
batur, se a Brabantinis, quorum opera
in bello uti Rex Angliæ non horreret,
comprehensum fuisse, affirmans, Re-
gem Ecclesiasticis Censuris subiacere,
quod in Episcopum manus injicere suos
jussisset. Petebat, ut sibi satisfieri Papa
curaret, non obscure innuens, nisi faceret,
alienæ culpæ reum fore. Respondit
Papa; eam denique sortem ipsi obtigisse,
quam meritis fuisset; cur enim militis
partes occupasset Episcopus, seque belli
injusti, quo Rex Franciæ Regem An-
gliæ, Expeditionis sacræ causa absentem,
laceggeret, participem effecisset, *Nihilominus*,
inquit Pontifex, *litteras tibi faventes ad Regem Angliæ dabo; at vero eum Principem in hac causa non juberi sed rogari a me oportet.* Richardus Rex,
acceptis literis, in quibus Cœlestinus
rogabat, ut Episcopum Belvacensem,
Fratrem suum carissimum, libertati re-
stitueret, lorica, qua Præsul cum cape-
retur munitus erat, Romam missa, nun-
cios dicere ad Pontificem jussit: *Vide*
utrum tunica filii tui sit? pro genio il-
lius ævi ad sacræ Scripturæ historiam
alludens.

Porro Philippus Episcopus non ante
annum Salutis humanæ millesimum du-
Hist. Eccles. Tom. XVIII. Aa cen-

Sæcul. XII.
A.C. 1197.

ep. 15.

Jo. Bromt.
p. 1273.

Gen. 37. 32.

Sæcul. XII. centesimum secundum, captivitatis suæ
 A. C. 1197. sextum, e carcere liberatus est.

§. LXI.

Sacra Profectio Germanorum.

Otto a
S. Blas.
c. 42. Rog.
p. 772.
Arnold.
Lubec. c. 2.

Germanorum ad sacram profectionem accinctorum innumerabilis multitudo in tria agmina dividi debuit. Primum, cui Conradus Archiepiscopus Moguntinus imperabat, itinere terrestri Constantinopolim, atque inde Tyrum pervenit. Secundum, itinere maritimo Franciæ & Hispaniæ litora prætervectum, in via Silvas, urbem Lusitaniæ, ex Mauro- rum potestate eripuit, eaque destructa, trajecto freto Gaditano, Acriam Palæstinæ portum appulit. Tertius exercitus validissimus Henricum Imperatorem in Italiam secutus, reliquas Apuliæ & Siciliæ urbes, quæ hucusque imperata facere detrectaverant, subiecit, indeque in Orientem, Conrado Episcopo Herbipolensi, Imperatoris Cancellario, duce, missus est. Hæc classis portum Acriensem, vigesima secunda Septembris anno millesimo centesimo nonagesimo sexto intravit. Sed Cancellarius in Insula Cypro moratus est, Regem coronaturus Guidonem Lusignanum, qui ut ostentaret, se Imperatoris Constantinopolitani jugum excussisse, summis precibus obtinuerat, coronam sibi ab Imperatore Ger-

Germaniæ mitti. Itaque Cancellarium Sæcul. XII.
honorifice exceptum, diuque detentum, A.C. 1197.
tandem Acriam navigaturum dimisit.

Inter hæc Leo seu Livo Rex Ar-
menia, ut Crucigerorum auxilia sibi
conciliaret, Legatis ad eorum duces &
Principes missis, cum donis & epistolis,
professus est, cupere se Imperatori subdi-
tum fieri, si ipsi Regiæ coronæ decus,
cujus desiderio jam diu teneretur, con-
cederet. Plerique censebant, hanc
Legationem Cancellario esse commit-
tendam, quia vero tunc Baruti com-
morabatur, hæc provincia Archiepi-
scopo Moguntino obtigit, qui nomine
& auctoritate Henrici Imperatoris Regi
Armenia coronam imposuit. Sed & his
majora effecit Religiosus Præsul; nam
& Principem & omnes ejus subditos Innoc. 3.
populos ad unitatem Ecclesiæ Romanæ l. 2. ep. 252.
reducere conatus est, ac Rupinum Leo-
nis Regis pronepote, Alesia neptis
ejus & Raimundi Principis Antiocheni
filium, sacro fonte abluvit. Præterea
sua industria Regem & Principem ad
mutuam gratiam ineundam permovit,
sopivitque tunc jurgia, quæ Ecclesiam
Orientis vehementer turbabant.

Crucigeris Germanis, in Palæstinam
pervenientibus, nihil prius nunciatum,
quam quod Valeranus, Comes Limbur-
gensis, fidem inter Regem Richardum

Sæcul. XII.
A.C. 1197.

& Saracenos de servandis induciis datam violasset, nam ipse prius, quam tota classis advenisset, appulerat. Quare Safadinus, Saladini frater, cujus maxima apud Saracenos, mortuo Soldano, erat auctoritas, Jafam obsederat, & ad deditionem compulsam solo æquaverat. *Rog. p. 773.* Christiani vero Infideles ad urbem Sidonem aggressi, prælio victores, amissa oppida receperunt. Sed diu deinde in obsidione oppidi *Toron* hærentes, optimum tempus & operam perdidērunt, tandemque re infecta recesserunt, a quibusdam Templariis & Episcopo Herbipolensi proditi. Hos enim ab Infidelibus magnam vim pecuniæ, perfidiæ pretium, accipere non puduit; & en! cum missum sibi aurum avidius aspiciunt, neutiquam verum sed spurium, seque ipsos Saracenorum ludibrium esse deprehendunt. *Otto 6. 42.*

Germanis Crucigeris Acriæ commorantibus ingens vitæ licentia, qua Templarii, alique illius provinciæ Principes Christianum nomen profanabant, gravi scandalo fuit, aliunde non ignorantibus, sibi ab his Christianis, cum Saracenis consilia communicantibus, illudi. Nam Franci isti, qui in Oriente sedem fixerant, ora maritima & fertillissimis agris, quibus fruebantur, contenti, nullo desiderio

fiderio Hierosolymam vel sacrum Se-
 pulchrum recuperandi tenebantur. Ita-
 que Germani ab iis divisi, & sub na-
 tionis suæ ducibus militantes, pluribus
 præliis Infidelium vires atterebant, cum
 certa accipiunt ab amicis indicia, quod
 Orientis Christiani cum Saracenis col-
 ludentes in ipsorum perniciem conjuras-
 sent, atque Henricus, Comes Campa-
 niæ, Regis Hierosolymæ titulo ornatus,
 conspirationis socium se præbuisset.
 Unde crediderunt Germani, funestam
 juvenis Principis mortem haud obscu-
 rum fuisse divinæ vindictæ argumentum.
 Cum enim Acriæ versaretur, quadam
 die fenestra innixus, ruente fulcro, de-
 lapsus cervicem fregit. Isabella Henrici
 vidua Aimericum Lusignanum, Cypri
 Regem, quartis nuptiis virum accipiens,
 inanem Regis Hierosolymæ titulum in-
 dotem attulit. Germani vero, sibi ca-
 ventis, Jafam se receperunt, cujus
 mœnia cum restaurant, & Saracenos
 ingruentes viriliter depellunt, affertur
 ex Germania nuncium, Henricum Impe-
 ratorem obiisse, pluresque Imperium
 ambientes rixari. Ergo domum re-
 meant; sicque tantæ molis expeditio
 successu caruit.

Sæcul. XII.
 A.C. 1197.

Sæcul. XII.

§. LXII.

A. C. 1197.

Henrici VI. obitus. Philippus & Otto Reges Romanorum.

Rog. p. 773.

Henricus Imperator, in Siciliam red-
dux, gentis illius, ac etiam Con-
stantiæ Imperatricis, uxoris suæ, ob
multa crudeliter gesta, horror, Messanz
in Vigilia S. Michaelis, vigesima octava
die Septembris anno millesimo centesimo
nonagesimo septimo, obiit, quin etiam ru-
mor fuit, Constantiam marito per mini-
stros venenum propinasse. Parente elato
annis septem regnaverat. Quia vero ad-
huc excommunicationi subiacebat, ob
captum Regem Richardum, & pretium
libertatis ab eo exactum, vetuit Papa,
corpus defuncti sepeliri. Archiepiscopo
Messanenſi Romam deinde profecto, ut
hanc licentiam peteret, ea demum con-
ditione Papa annuit, si Rex Angliæ
consentiret, & restitueretur pecunia (*).

Sup. n. 5.

Præ.

(*) De morte Henrici VI. Imperatoris Pa-
latius hæc habet: *In Syriam, mutato propo-
sito, cogitanti Cæsari mors iniecit manus Mes-
sanæ III. Kal. Octob. medio veneno, quod pro-
pter adulteria conjugem propinasse ferunt:
seu ut alii volunt ex venationis labore frigi-
da intempestive pota lethalem febrim accere-
sisse*

*Symbolum Henrici VI. fuit: Qui nescit
tacere, nescit loqui.*

Initium

Præterea Archiepiscopus Messanensis a Papa consensum exposcebat ad Fridericum Henrici Imperatoris filium, Regem Siciliae coronandum. Respondit Papa, consentire se, si etiam Cardinales suffragarentur. Tum pro ista licentia mille marcæ argenti Papæ & totidem Cardinalibus traditæ. Imperatrix autem ad jusjurandum super Sacra Evangelia edendum compulsæ, quod Fridericus ex Henrico Imperatore & ipsa genitus esset. Principi parvulo, necdum expleto vitæ triennio, nam vigesima sexta die Decembris anno millesimo centesimo nonagesimo quarto lucem primo aspexerat, Tutor datus est patruus, Philippus Dux Sueviæ, Henrici Imperatoris frater, qui Rex Romanorum in superiore Germania, Apulia & Sicilia electus est, at cum Germaniæ inferioris Principes co-

*Sæcul. XII.
A.C. 1197.
Rog. p. 774.*

*Al. Stat. an.
Ric. &
S. Ger.*

*Auct. Aquin.
an. 1197.
1198.*

A a 4 ronam

Initium Epitaphii ex Sabino est:
 Tristia submersi natus post fata parentis
 Regia concordi scepra favore tulit.
 Et finis ex Reusnero:
 Apulos, Calabros, Siculos & Japygas ar-
 mis
 edomui: domitis Jura Ducesque dedi:
 Occido, Messana tumultatus in urbe: ve-
 nenum
 fervens; uxor amore dedit.

V.
s &
n re-
Con-
ob
stanz
stava
esimo
m ru-
mini-
elato
o ad-
, ob
tium
Papa,
copo
, ut
con-
gliaz
a (*).
Præ-
is Pa-
rono-
Mes-
i pro-
runt:
frigi-
accere
nescit
itium

Sæcul. XII. ronam Ottoni Duci Saxonie obtulis-
 A.C. 1197. sent, hæc Imperii divisio multas in
 Ecclesiam quoque turbas invexit.

§. LXIII.

Ecclesie Septentrionis.

Auct. Aquicini.
an. 1197.
Arnold. Lih. 7. c. 9.
 Eodem anno millesimo centesimo nonagesimo septimo in Livonia ad superiores abiit Bertholdus, Episcopus Riganus, numero secundus. Defuncto Mainardo, hujus Ecclesie auctore, Bertholdus, cujus viri merita omnibus erant perspecta, communi Clericorum populique consensu electus, & Bremæ Episcopus consecratus fuerat. Ei etiam certi redditus, valorem viginti marcarum argenti exæquantes, constituti. Ipso hortante, non nulli Optimatum Crucigerorum votum ediderunt, Infidelibus arma inferendi, & Clerici aliquot futuros se viæ socios promiserunt. Quia vero tunc nulla expeditio Hierosolymam movebatur, Cælestinus Papa his, qui se hujusmodi voto obstrinxerant in Germania, potestatem fecit, se in Livonia militaturis jungendi, concessa eadem Indulgentia.

Ergo ex tota Saxoniam, Westphalia,
 & Frisia permulti Præsules, Clerici,
 Equi-

Equites, & Mercatores conveniunt, Sæcul. XII.
A.C. 1197.
 qui, a Lubecensibus navibus, armis, annona instructi, in Livoniam pervenerunt. Verum cum Bertholdus Episcopus exercitum contra Infideles ducere cœpisset, & in eorum manus cum duobus haud plus sociis incidisset, occisus est. Ad Martyrum censum pertinere creditus est, atque Sanctitatis opinio inde aucta, quod cum post biduum cæforum corpora fuissent inventa, notaverint omnes, ejus corpus mansisse illæsum, etsi alia a muscis & vermibus haud essent intacta. Sepultus est Rigæ, eique Albertus, Canonicus Bremensis, juvenis, sed cujus mores maturum animum exhibebant, Successor datus est.

Ante annos abhinc paucos mortem Arnold. IV.
c. 24.
 oppetierat Berno primus Episcopus Suerinensis. Nam, ætate Ottonum Imperatorum, Sedes Episcoporum illius provinciae erat Megalopolis urbs, in qua ipse Berno, Hadriano Papa Romæ gubernante, federat. Sed Sclavorum Helm. I. c. 88.
 metu, a quibus Episcopi atrociter vexabantur, Suerinum migrare coegit, atque Berno primus Episcoporum ab Henrico Leone Duce Saxoniae in illam civitatem missus est. Nihilominus a Barbaris

Sæcul. XII. baris pessime habitus est, verberibus
A. C. 1197. affectus, colaphis contusus, & ut Sacri-
 ficia Idolis oblata spectaret, probrose
 deductus. Quibus non obstantibus,
 Sacerdotali constantia perseverans, tan-
 dem Idololatriam abolevit, lucos & sal-
 tus falsis Diis sacros cæcidit, & sub-
 lato cultu Numinis, quod vulgo *Gene-
 dracht* appellabant, S. Godhardi Episcopi
 Hildesheimensis memoriam honorari
 præcepit. Bernone mortuo, Bernardus
 ejusdem Ecclesiæ Decanus, Episcopus
Chron. Citiz. electus est. Ceterum Henricus Leo sub
Sup. Lib. idem tempus, scilicet anno circiter mil-
LIX. §. I. lesimo centesimo nonagesimo quinto,
 rebus humanis valedixit,

§. LXIV.

S. Homobonus Cremonensis.

vit. ap. Sur. Cremonæ in Longobardia degebat civis,
13. Nov. nomine Homobonus ex familia anti-
 qua, sed cui fortuna mediocriter fave-
 bat, editus. A parente, qui mercatu-
 ram faciebat, educatus, postquam eodem
 jubente uxorem accepit, castitatem con-
 jugalem sancte servans, commercio bona
 & simplici fide vacavit. Defuncto patre
 in majorem libertatem assertus, non am-
 plius divitiis terrenis cumulandis incum-
 bere statuit, sed illas quærere, quæ in cælo
 repositæ, prædonibus non paterent. Ita-
 que ab hominum consortio separatus vigi-
 liis,

liis, jejuniis & orationi vacabat. Lucrum Sæcul. XII.
 mercatura comparatum pauperibus di. A. C. 1197.
 stribuit, nec expectans, donec egeni eleemosynam ab ipso peterent, ipse necessaria offerebat, omniaque tam corporalia quam spiritualia caritatis opera largiter præstabat. Uxor, non ita ut maritus mundi hujus bona aversata, primum rogare virum suum, ne rem domesticam prodigeret, tum etiam jurgari & tandem convicia ingerere; cui Vir Sanctus animo pacato & lenibus verbis respondebat, nunquam amitti, quæcunque Deo donarentur.

Sæpe Homobonus, etiam noctu, in Ecclesiam S. Ægydii, domui suæ proxime junctam, se conferebat, & Obertus, illius Ecclesiæ Parochus, cognita ejus devotione singulis noctibus, postquam campana pulsata tempus ad recitandos nocturnos indicasset, portam intraturo aperiebat. Sed eum non nunquam in Ecclesia invenit, priusquam aperuisset portam, quam caute fuisse a se clausam, cum nox ingrueret, meminerat, quod non sine prodigio fieri existimabat. Ex hoc loco discipimus, populum nocturnis horis officio divino non amplius interfuisse. Homobonus nulla non nocte veniebat, & ante Crucifixi imaginem prostratus in oratione usque ad Missam perseverabat. Miraculorum dono claruit, fama ejus sanctitatis ad externos quoque pervadente, complures con-

con-

Sæcul. XII. convertit Hæreticos, quos magis ejus vir-
A.C. 1197. tus, quam aliorum virorum doctorum di-
 sputatio, ad veritatem pertraxit. Ista de
 Manichæis, tunc in Longobardia erranti-
 bus, accipienda esse credo.

Quadam die Homobonus, postquam
 nocturno officio interfuisset, & more so-
 lito usque ad Missam orasset, ubi *Gloria*
in excelsis insonuit, in terram se demisit,
 extensis in modum crucis manibus. Quia
 vero deinde, cum legeretur Evangelium,
 non assurgebat, credidere circumstantes,
 somno fuisse victum. At eum excitare vo-
 lentes jam funus esse cognoscunt. Age-
 batur tunc dies decima tertia Novembris
 & annus millesimus centesimus nona-
 gesimus septimus. In eadem Ecclesia se-
 pultus est, complura ad ejus tumulum
 patrata miracula, & biennio elapso, Si-
 cardo Episcopo Cremonensi & Oberto
 Presbytero ejus vitæ rationem & Sancti-
 tatem testantibus, Innocentius Papa III.
 eum in Sanctorum Catalogum retulit.

Mart. Rom
13. Nov.

S. Viri memoriam Ecclesia in die
 obitus honorat.



DISSER.